⁊ tunc legitimando ſimpliciter: intelligitur legiti
matus etiam in tempoꝛalibus. Si legitimat lai
cum remanentē: qui ĩpatoꝛem recognoſcit in ſu
perioꝛem: ⁊ tunc non poteſt ſine conſenſu impa
toꝛis: qui p̄eſt illi. Et iſtam opi. tenet bar. in. l. qui
in pꝛouinciam. C. de nup. ſcilicet ꝙ in terris im
perij papa nō poſſit in tempoꝛalibus legitiare.

## De imperatoꝛe certū

eſt: ꝙ non poteſt legitimare ſuper ꝓle futura: qꝛ
non poteſt tollere per legem ſuam gradus con
ſanguinitatis ⁊ affinitatis: nec diſpenſare in gra
dibus conſanguinitatis ⁊ affinitatis: qꝛ nō habꝫ
diſponere de matrimonio. Et ſi ſuper conderet
legem: nil valeret talis legitimatio: niſi eccleſia
appꝛobaret ꝙ nati ex foꝛnicatione hēantur legi
timi: ſi poſtea genitoꝛes contrahūt inuicē matri
monium. Inſuper in terris ſuis: ⁊ multo magis ĩ
terris eccleſie non poteſt imperatoꝛ legitimare
in ſp̄ualibus: vt. ſ. pꝛomoueri poſſint ad oꝛdĩes.
Sed legitimatus ſimpliciter ab imp̄atoꝛe vł ab
eo qui hꝫ hanc auctoꝛitatem legitimandi ab ip̄o
indiget diſpenſatione pape ſi vult ad oēs oꝛdĩes
vel beneficia curata ⁊ dignitates ꝓmoueri. In tē
poꝛalibus autem vt in ſucceſſionibus ⁊ honoꝛi
bus ſeculi: poteſt legitimare in terris ſuis: ſed nō
in terris eccleſie: qꝛ abſurdum eſt dicere: ꝙ im
patoꝛ haberet maioꝛē poteſtatē in terris eccłie
q̄ȝ papa in terris ĩperij. Sint ergo cōtenti termi
nis ſuis. Et hec ꝓcedunt de ĩpatoꝛe iam coꝛona
to: ſed de nō coꝛonato magł dubitatur. Dicit tñ
Jaco. de are. ⁊ io. an. in ſpe. in ti. de reſcriptis. Et
idem eſt de his qui habēt poteſtatem legitiman
di ab ĩpatoꝛe: qꝛ poſſunt in caſibus in quibus
ille poteſt ſc̄m verba p̄uilegij. Vñ vbi illi nō pñt
nec ille poſſet cum habeant auctoꝛitatē ab eo.
Dicit etiam Anto. de butri. ꝙ habentes ptātē a
papa vel impatoꝛe legitimandi: non poſſunt legi
timare ad p̄iudicium alterius: qꝛ tales conceſſio
nes intelliguntur ſine alioꝛuꝫ p̄iudicio: vt ō offi.
dele. c. ſuper eo. ⁊ de p̄ui. c. paſtoꝛalis. De ſolēni
tate legitimationis dicit anto. de butri. ꝙ opoꝛ
tet ꝙ illegitimus impetrans exp̄mat qualitatēȝ
illegitimationis. ſ. an ſit ſpurius vel inceſtuoſus:
qꝛ difficilius diſpenſatur cum ſpurio vel ĩceſtuo
ſo: q̄ȝ cum naturali tantum. Unde ⁊ io. an in ſpe.
dicit: ꝙ ſi quis dicit ſe ſpurium impetrando legi
timationem: ſi iſte eſt ſpurius duplicatus: vt qꝛ
ex vxoꝛato ⁊ vxoꝛata: cum alias nō valeat ĩpe
tratio: ſi hoc non exp̄matur ſed reputatur ſubrep
ticia. vt in clementina illa eo. ti. de fi. pſby. c. fina.
Item cū queritur an in legitimatione alicuꝰ
debeant citari illi: in quoꝝ pꝛeiudicium fit: ſeu q
bus pꝛeiudicatur. An. de butri. diſtinguit: qꝛ ali
quando legitimatio fit in vita patris: ⁊ tunc po
teſt diſponere de hereditate: quod vult ad p̄iu
dicium ſperantis hereditatem. Et valet talis le
gitimatio non vocata parte. Sed exigitur: ꝙ in
ip̄a legitimatione fiat mentio agnatoꝛū: nec ſuf
ficeret p̄mum cum ſecundo. Si vero fiat legitia
tio ad inſtantiam filij ⁊ intuitu patris: ⁊ ſatis po
teſt dici: ꝙ non requiratur eoꝛum aſſēſus: ⁊ ſi il
li legitimi eſſent confratres: dicit tamen idē ãto.
ꝙ non valeret legitimatio niſi appareret pꝛinci
pem certificatum: ꝙ alios liberos ipſe haberet:
qꝛ iſta eſt cauſa inductiua facilius ad conceden
dum legitimationem eo ſcilicet ꝙ non hꝫ alios
liberos. Sed facta exp̄ſſione bene valeret hec
impetratio. Ideꝫ. ſ. ꝙ ſi nō fieret mentio ō agna
tis: non valeret impetratio: tenuit Jo. an. ĩ addi.
ſpe. Requiritur etiam aſſēſus ipſius patris a p̄n
cipio vel ex poſtfacto. Si autem fiat legitimatio
pꝰ moꝛtē pr̄is: de cuiꝰ ſucceſſiōe agitur: ⁊ tc̄ ē du
biū an legitiatio illa r̄etrotrahat̄: ⁊ ſi r̄etrotrahat̄
vtꝝ tollat ius altī q̄ſitū medio tēpoꝛe. Et dic̄ ip̄e
anto. ꝙ ſi fiat p verba non reſtrictiua legitima
tio: vt dicendo. Conferimus tibi legitimationēȝ
tunc legitimatio retro non trahitur. Si autē fiat
per verba reſtrictiua vt dicendo: integramus te
ad oīa p̄mecia nature: ac ſi legitime natꝰ eēs: q̄ ſic
fieri debet: quando vult totaliter integrare ip̄e
legitimans: ⁊ tunc legitimatio retrotrahitur. Sꝫ
vtruꝫ ſic retrotrahitur: ꝙ tollat ius alteri medio
tempoꝛe acquiſitū: ſunt opi. Quidaꝫ dicūt: ꝙ ſic
bar. tenet contrariū in. l. gallus. ff. de libe. ⁊ poſt.
Et hoc niſi aliud ſibi. ſ. legitimato ſpecificetur
reſtitutum. Et iſtam opi. vt veram appꝛobat ip̄e
anto. ad hoc de reſcrip. c. q̄uis. li. 6. Et iſtā ſñiam
tenet io. an. in addi. ſpe. Et dicit ipſe anto. ꝙ tenē
do: ꝙ legitimatio retrotrahatur ad pꝛeiudiciuꝫ
illius: cui iam acquiſita erat hereditas: ⁊ tunc di
ſtinguendum: qꝛ aut filius fecit ſe legitimare ex
tacita voluntate patris: qui declarauit velle ip̄m
ſuccedere in teſtamento: ⁊ tunc non exigitur: ꝙ il
li vocentur: quibꝰ p̄iudicatur: aut nō apparet aliō
⁊ tunc dicit ꝙ exigitur ꝙ citētur illi quibꝰ p̄iudi
catur: ĩmo exigitur eoꝝ conſenſus allegat. C. de
natali. reſti. l. pe. Et hec vera: niſi hoc appareat
de exp̄ſſa voluntate p̄ncipis: ꝙ voluerit pꝛeiu
dicare aliis in hereditate: ſed ſi non exp̄mat aliō
de iure alteri acquiſito: valet legitimatio: ſed nō
ad pꝛeiudicium eius: de cuius pꝛeiudicio agitur
⁊ hec vera de legitimatione quam facit in terris
ſuis. Si autem alibi legitimaret: non poſſet etiā
citatis illis quibus ius eſt queſitum: niſi ipſi cō
ſentiāt. Sciendū ēt: ꝙ legitimatio peti poteſt per
ꝓcuratoꝛem.

Titulus ſecundus de ſtatu continentium: ptiꝫ
p modū ſermonis: ⁊ ptim doctrine. Ca. p̄muꝫ.

## Adducētur re

gi virgines: poſt eam pꝛoxime
eius offerentur. pſalmo. 44.
Loquitur p̄s ō eccleſia que
vtiqꝫ eſt mater ⁊ virgo. Nā
qdem oīum fidelium: quos genuit in baptiſmo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per fidem. Uirgo per integritatem mentis:⁊ li/
bera a corruptione peccati mortalis. Unde apo
ſtolus.2.cor.8.dicit de fidelibus. Deſpondi eniꝫ
vos vni viro virginem caſtam exhibere xp̄o pꝰ
eam: vt filie adducuntur virgines regi domino
ieſu chriſto vt ſponſo earum. Unde ⁊ de ſanctis
virginibus canit eccleſia. Agnum ſponſum vir/
ginum venite adoremus dominum ieſum xp̄m.
Poteſt etiam iſtud poſtea referri ad virginē ma
riaꝫ: que ſola mater ē ⁊ virgo ⁊ primiceria ⁊ ſpe
culum virginum: que vtiqꝫ poſſidet aureolā vir
ginitatis: q² ⁊ ſi non habuit a carne pugnam ꝓ/
pter religationem vel extinctionem fomitis ꝓpt̄
cuius victoriaꝫ.ſ.pugne plena datur aureola: ha
buit tamen ab hoſte: cuius caput ſcilicet princi/
pij ſuggeſtionis contriuit ſola. Poſt eam igitur
vt principaliorem ſequuntur virgines alie ⁊ xp̄o
adducuntur regi. Uidue autem dicuntur proxi
me eius: q² appropinquant ad caſtitatem virgi/
nalem: non tamen ita ſunt ſimiles: Nam virgīes
autem q̄ꝫ vidue ad xp̄m perueniunt: quinimo ⁊
boni coniugati. Sed adducuntur ad xp̄m virgi
nes dei gr̄a adiuuante: ⁊ ipſis magis laboranti/
bus ad conſeruationem eius. Uidue autem affe
runtur cum adiutorio etiam gratie: ſed non tm̄
conatum exercentes. Nec tamen virgo nec vi/
dua caſtitatem virtute propria ſeruāt: ſed dono
dei. Et ideo dicit adducentur ⁊ offerentur.ſ. ab
illo: videlicet dono dei. Sed prius de virgini/
bus agendum eſt.

## Dicitur autem virgo

quaſi viragens ideſt repellens: vt non permittat
ſe cognoſci carnaliter ab eo. ille enim eſt modus
naturalis: quo amittitur virginitas: q̄uis per ali
os etiam modos poſſit amitti vt dicetur. Uł di
citur virgo a virore ſm̄ tho. q² non eſt experta
aduſtionem.i.actum veneree delectatiōis: ſicut
arbor dr̄ viridis: que a calore nō deſiccatur.ī fo
lijs. Uel vt dicit fulgentius ad probaꝫ in lib. de
virginitate. Uirgo dicitur quaſi virago. Uirago
dicitur a viro. Uir autem a virtute. Claret igit̄
inter ceteras eccleſie donationes illius p̄cipuuꝫ
munus ſp̄ualis eſſe chariſmatis: vbi virtus ipſa ī/
tegritatis perfectio meret̄ vocabulo cenſeri vir
tutis. Nec in eo tamen ꝙ virginalis integritatis
agnoſcimus culmen pudicitie coniugalis aſſeri
mus crimen: ſed ſanctam virginitatem dici me/
rito potiore diſtare a coniugali vita: q̄tuꝫ diſtāt
a bonis meliora: a terrenis celeſtia: a carne ſp̄us
ab infirmitate virtus. Nec dicere dubitamꝰ tm̄
a ſancta virginitate carnis ⁊ ſp̄s fidelium coniu
gatorum: lꝫ a deo conceſſum diſtare concubitū
quantum ſimilitudo peccatoꝝ ab imitatione di
ſcernitur angelorum. In uno quippe ad terram
ſp̄s terrena carnis voluptate deprimitur: in alte
ro terrena caro celeſti d̄lectatiōe ſp̄s ad celeſtia
ſubleuatur. hec fulgentius. Et in decre. di. 30. c.
hec ſcripſimus dr̄. Nos virginitatem cū huma/
nitate admiramur: ⁊ continentiam cuꝫ caſtitate
⁊ religionem deo acceptiſſimam dicimus.

## Ad laudē et cōmenda/

tionem virginitatis ait hiero⁹. ad euſtochiū. Ha
beant nuptie tempus ſuū: ⁊ titulus mihi virgini
tas in maria dedicat̄. Et xp̄o dicat aliquis. Au/
des nuptijs detrahere: que a dn̄o benedicte ſūt:
non eſt detrahē nuptijs: cū illis virginitas ante/
fert̄. Glorient̄ ⁊ nupte cum a virginibus ſint ſe/
cunde. Creſcat ⁊ multiplicetur ille. qui impletu/
rus eſt terram. Tuum agmen in celis. Poſt para
diſum ⁊ nuditatem ſint folia auſpicantia pruri/
gineꝫ nuptiaꝝ. Nubat ⁊ nubat̄ ille qui ī ſudore
vultus ſui comedit panem ſuū: cuius terra ſpinaſ
generat ⁊ tribulos: cuius herba ſentibus ſuffoca
tur. Meum ſemen centenaria fruge fecundum
eſt. Conſuant tunicas que inconſutam de ſur/
ſum tunicam ꝑdiderunt: quas vagitus delectat
infantium. Eua in ꝑadiſo virgo fuit. Tua regio
ꝑadiſus eſt. Serua qd̄ nata es. Uirgo naſcit̄ ca/
ro de nuptijs. Uirgo eſt mater dn̄i ſimplicit̄ pu
ra ſincera: nullo extrinſecus germine coherente
⁊ ad ſimilitudinē dei vnitate fecūda. Uirge flos
xp̄s eſt dicens. Ego flos campi ⁊c̄. canticorum.
2.c. ⁊c̄. Laudo nuptias: ſed q² mihi virgines ge/
nerant. Lego de ſpinis roſam de terra auruꝫ de
concha margaritā. Quid inuides mater filie tue?
Indignaris: ꝙ noluit mulier militis eſſe: ſed re/
gis? Grande tibi beneficiū p̄ſtitit. Socrus dei ec̄
cepiſti. Apoſtolus paulus virgo fuit. Unde dicit
Dico āt innuptis ⁊ viduis. Bonuꝫ eſt illis ſi ſic
ꝑmaneant vt ego ꝑma ad cor. 7. c. Ideo autem
dicit ſe de virginitate p̄ceptum dn̄i non habere
q² ſi virginitas fuiſſet imperata: nuptie videbā
tur ablate: ⁊ duriſſimū erat contra naturam co/
gere: angelorūqꝫ vitam ab hoīb⁹ extorquere.
Uirgo helias: heliſeus virgo. Uirgines multi fi
lij ꝓphetarum. Hieremias vxorē ꝓhibetur acci
pere: ⁊ ad quālibet tamē virginem eccleſia iſtud
pſalmiſte adaptat videlicet adducentur ⁊c̄. Ubi
tria videnda ſunt de virginitate. ¶ Primo quo
modo virginitas coronatur. ¶ 2°. quō poſſidea
tur. ¶ 3°. quō ipſa dignificatur.

## Quantum ad primum

dicit apoſtolus. 2. thi. 2. c. Non coronabitur niſi
qui legitime certauerit: ita certet: ꝙ vincat: vt
autem canit eccleſia. Mundus caro demonia
diuerſa mouent prelia contra nos. Et quantum
ad prelium carnis: ſicut non coronatur aureo/
la que eſt premium eſſentiale anime: niſi quis
habuerit victoriam de omni vitio carnali abſti
nendo ab eo vel a perpetrato penitendo. Ita nō
coronatur aureola virginitatis: que eſt premi/
um accidentale: qd̄ datur ī gloria propt̄ excellē/
tē pugne ex carne victoriaꝫ: niſi qs liber fuerit a
volūtaria corruptiōe carnis. tentatiōes vincen/
do. Quāuis enim virginitas: quantum ad eius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

initium ⁊ ſeminarium ideſt inclinationem natu/
ralem inſit a natura: ſicut ⁊ omnis virtus: ⁊ quā
tum ad materiam remotā que eſt integritaſ car
nis: ⁊ materiam propinquam que ē experientia
veneree voluptatis: ineſt a natura ⁊ natiuitate:
qꝛ oēs naſcuntur virgines: ⁊ inexperti volupta/
te ſcḋm pe. de palu. in. 4. di. 33. Sed quantū ad cō/
plementū actuale vel habituale: ⁊ ſic virginitas
nō eſt a natiuitate vel a natura plus q̄ꝫ alie virtu
tes. Nā puer naſcens non habet actum nec habi
tum virginitatis: pluſq̄ꝫ liberalitatis: ſed eſt ſicut
alie morales per acquiſitionē ⁊ infuſionē. Non
enim quicūqꝫ hꝫ integritatem carnis: cum vene
rit ad ānos pubertatis: ſi eligat in carne īcorrup
tibiliter viuere: ſtatim per hoc hꝫ habitum vir/
ginitatiſ. Sed quando cū hoc habituali ꝓpoſito
frequenter domauerit motus carnis: adgeneratꝰ
in eo habitus: ſicut nec vidua ſtatim mortuo ma
rito hꝫ habitum cōtinentie vidualis: lꝫ eligat ſic
viuere: ſed per frequētem domationē paſſionuꝫ
cum ꝓpoſito habitum acquirit differentē ab ha
bitu caſtitatis coniugalis: non tamē meretur no
men virtutis ſpecialis: que nō peruenit ad perfe
ctionē. Eſt igitur habitus cōtinentie vidualiſ hi
tus differens a continentia coniugali: habēs ſpe
cialem rōnē boni ⁊ difficultatis: qꝛ quibuſdam
eſt placitum ⁊ facile in cōiugio viuere caſte: qui
bus non eſt facile nec placitū viuere vel a coniu
gio abſtinere: ſed tamē nō eſt virtus ſpecialis: im
mo caſtitas eſt vna virtus: que minorem habꝫ
gradū in matrimonio: ⁊ perfectius ſaluatur ī vi/
duitate. Similiter caſtitas cōiugalis nō ſtatim
īnaſcitur: cum quis eligit ab aliena abſtinere. Sꝫ
cum frequēter ab aliena tentatus eligit nō acge/
ſcere: ⁊ ſic de aliiſ. Et vt dicit tho. ī. 4. di. 49. In
continēdo ſcḋm aliquid maiorē pugnam ſuſtinēt
virgines: ⁊ ſcḋm quid vidue ceteris paribus Vir
ginibus enim cōcupiſcentiam inflāmant ⁊ expe
riendi deſiderium: qḋ ex quadam quaſi curioſi
tate procedit: qua etiam fit: vt homo libētius vi
deat que nunq̄ꝫ vidit: ⁊ etiam in eis concupiſcen
tiam auget extimatio maioris delectationis: q̄ꝫ
ſit ſcḋm veritatem: ⁊ inconſideratio eorum incō/
modorum: que delectationi huiuſmodi augenꝰ
⁊ adiūguntur. Et quantū ad hoc vidue maiorꝫ
ſuſtinent pugnā: maiorē āt ꝓpter delectationis
memoriam: ⁊ in diuerſis vnum alteri preiudi/
cat ſcḋm hominum diuerſas diſpoſitiones: qꝛ qui
dam magis mouentur hoc quidaꝫ alio. Quicqd
autem ſit de quantitate pugne: tamen hoc certū
ꝙ perfectior eſt victoria virginum q̄ꝫ viduarū.
Perfectiſſimū enim genuſ victorie ē ⁊ pulcher
rimum nunq̄ꝫ hoſti ceſſiſſe: Corona autem non
debetur pugne: ſed victorie de pugna. Nō ergo
coronabitur niſi qui legitime ⁊c.

## Quomodo in diuerſis

temporibus homineſ diuerſimode ſe habuerūt
ad virginitatem ſeruandam. Pe. de palu. in. 4.
di. 33. dicit ꝙ in ſtatu innocentie non licuiſſet cō
tinere vſqꝫ ad ſufficientem multiplicationem hu
mani generis: qꝛ tunc erat preceptum. Creſcite
⁊ multiplicamini. nec tamen peccauit adam con
tinendo in paradiſo: quia modico tempore fuit
ibi. Sed tho. dicit ꝙ poſt multiplicationem ſine
peccato potuiſſet quis eſſe virgo. Contra: quia
tunc preferebatur virginitati coniugium: qꝛ ha/
bebat fecunditatem cum puritate. Fuiſſet autē
contra rationem eligere minus bonum: ⁊ ipſi nō
erant facturi contra rationem: puta, tot fuiſſent
maſculi quot femine. vt eſſet vna vni: ergo ſi cō
tinuiſſet feciſſet contra finem matrimonij ⁊ pa/
cis. Semper etiam fuiſſet multiplicatio neceſſa
ria: qꝛ non videtur probabile: ꝙ parentes ꝑmi
retardarentur a glā vſqꝫ ad finem mundi: cum
ſolum peccatum ſit cauſa retardatiōis: vt origi/
nale vel actuale aut pena. Unde primis parenti/
bus tranſlatis in glāꝫ oportebat ſucceſſores va
care generationi: ſicut ꝑmi inchoauerant. Tem
pore vero nature lapſe. ſ. tēpore legis nature fuit
virginitas licita multiplicato genere humano: ſꝫ
ſemper ante euangelium melius erat coniugiuꝫ
niſi vbi ſpaliter aliud reuelabatur. In paruulis
autem erat virginitas carnis non mentis. Tem/
pore vero lapſe nature ante multiplicationē fuit
in precepto prohibitio. Nec tamē peccauit abel
virgo moriens. qꝛ adhuc iuuenis erat: nec aptus
coniugio: quando mortuus fuit. Nam nec chaiꝫ
libidinoſus adhuc generauerat: fuit tamen abel
mortuus virgo carne: ſed non mente: quia tunc
non erat tempus virginitatis: niſi quis dicit: ꝙ
deus preſcius mortis eius ſibi inſpirauit virgini
tatem: ⁊ ſic haberet aureolam virginitatis. Sed
poſt multiplicationem licuit non tamen hēmus
exemplum nec in enoch: qui per coituꝫ generās
⁊ per coitum genitus eſt: nec in alio forte. Tem/
pore autēꝫ diluuij ſicut prius fuit illicita vſqꝫ ad
multiplicationem hominum. Poſtea vero lici/
ta non tamen extat exemplum: niſi forte de mel
chiſedech. Sed ſi fuit ſem filius noe: vt dicunt
hebrei: non fuit virgo. Tēpore vō legis ſcripte:
ſciendum ꝙ licuit ſeruare virginitatem: qꝛ iam
filij iſrael multiplicati creuerant nimis: vt arena
maris: non tamen laudabatur: immo filia iepte
fleuit virginitatem: vt habetur iudic. c. ¶ Et ma
ledictus erat non relinquens ſemen maledictio
ne ſcilicet opprobrij temporalis: niſi conſilio ſpi
ritus ſancti: vt helias dedicans ſecundum hiero.
Sed apud gentiles error increbuerat ꝙ dede/
rat eos deus in reprobum ſenſum: vt licita puta/
rent illicita: ⁊ econuerſo: vt fornicationem eſſe li
citam. Plato vero ſanctificauit ſe: non quia puta
ret virginitatem illicitam. Unde nec deſeruit eā:
ſed vt ſatiſfaceret plebi. Nam opi. fuit apud phi
loſophos propter ſcandalum vitandum: facere
multa: q̄ ſciebāt nō eſſe faciēda ſicut adorabāt ido
la. q̄ꝫuis ſcirēt nihil religiōis eē in ſtipite ne lapi/
darentur ſicut pythagoras apud athenas reus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

habitus eſt:qꝛ vocauit lapidem ignem ardentē.
Ipſi enim neſciebant aliam vitam:⁊ propter hꝰ
nimis timebant perdere iſtam. Tēpoꝛe vo euā/
gelij ſemper licuit ⁊ licebit tenere virginitatem.
Unde iohannes lucifer fuit virgo ante ſolez ⁊ nō
venus. Maria etiam pꝛimiceria virginitatis fu
it. Unde pſ. Adducentur regi virgines poſt eaʒ.
Tpe etiā glīe erūt oēs virgines: qꝛ.ſ. nec nubet
nec nubēt:imo tpe grē:vt res melioꝛ cadit ſb cō
ſilio ſm illud.i.coꝛ.7.de virginibus pceptū dn̄i
non habeo:conſilium āt do. Nō conſilium Io.
euangeliſta ſeruauit cum vxoꝛem: p qua iam in
domū traducta nuptias faceret:vt hētur Iohā.
2.intactam permiſit:⁊ virgo in euuʒ permanſit:
pꝛilegio amoꝛis a xpo dilectus. Hāc ioſeph ſpō
ſus marie ſeruauit:vt dicit augu.⁊ vouit cuʒ ma
ria ſponſa ſua.27.q.i.§. Et vas electionis vir
go fuit. Unde dicit.i.coꝛ.7. Uolo oēs homines
ſicut me.ſ.virgines. Sed vnuſquiſqꝫ hꝫ ppꝛiuʒ
donū:⁊ xps habuit. vnde cantic.2.c. Ego flos
campi ⁊ lilium conuallium.

## Notandum etiā virgitas ī eſt ſm pe.de

palu.vbi ſupꝛa per infuſioneʒ:ſicut alie virtutes
moꝛales. Et ſatis videtur ex ſpeciali grā: ꝙ Io.
baptiſta ⁊ beata virgo ⁊ hieremias in vtero per
ſanctificationem receperūt virtutē virginitatis
quam erant ſeruaturi. Sed de baptiſmo flumis
⁊ ſanguinis:in quibus nō ſolū infūduntur neceſ
ſaria ad ſalutem:ſed ⁊ oīa perfectiua:in quibus
nō eſt obex in recipiente:vt ꝛmiſſio culpe venia
lis ⁊ pene. vr̄ ꝙ in paruulis in quibus nullus
eſt obex:infunditur virginitas ⁊ inocentibus:nō
tamen ꝙ eis debeatur aureola:qꝛ illa reſpicit ac
tum non hītum. De adultis autē vr̄ :ꝙ dn̄s ſua
liberalitate infūdat oī hōi:id ad qd̄ ſe diſponit.
Unde q cū ppoſito virginitatis venit ad baptiſ/
mū vel ad aliud ſacramentum:recipit habitum
virginitatis:ſicut ⁊ ceteras virtutes:qꝛ enim ī oī
ſacro noue legis infunditur:non ſolū id qd̄ eſt
neceſſariū ad ſalutem:ſed ēt qd̄ eſt vtile ſm ca/
pacitatem ⁊ diſpoſitioneʒ digne recipiētis. Inde
eſt ꝙ recipiens ſacr̄m noue legis non cōtrariuʒ
virginitati:qd̄ dico ppter matrimonium:recipit
oēm virtutem ad quam eſt diſpoſitus : ⁊ cuius ē
capax. Si āt eſt coꝛꝛuptus mente ⁊ coꝛpoꝛe:q̄uis/
uis peniteat:non eſt tamē capax virginitatis: qꝛ
recuperari non poteſt. Sed ſi non eſt coꝛꝛuptus
niſi mente:⁊ penitēs pꝛoponit cōtinere tunc re/
cipit.hec petrus

## Notandum autem eſt

qd̄ dicit idem pe.ꝙ tho.in ſcripto.ſ.in.4.ſ.di.33.
q.3.ar.2.ad quartum ar.⁊ in.4.ſ.di.49.q.5.ar.3.
q.i.in coꝛ.q.tenet votum de eſſentia virginitatꝭ
non eē. In ſūma vero vr̄ dicere oppoſitum. 22.
q.152.ar.3.ad quartum argumentum. Sicut eniʒ
ſeruare caſtitatem ⁊ paupertatem ſine voto: vt
nouitius non faceret religioſū:ſic virginitas ſinē
voto non daret aureolam. Sed contra :qꝛ lʒ p/
poſitum nubendi impediret:q̄uis pꝛoponeret nō
illicite:coꝛꝛumpi tamen firmum ppoſitum per/
petuo continendi etiam ſine voto facit virtutem
virginitatis:nec votum trahit ad aliam virtutē
q̄ʒ ad ſuam.ſ.latriam:alias ageret contra ſpeciē.
Unde bene concedo:ꝙ votum non facit d actu
non virtuoſo: ⁊ ꝙ actum trahat ad altioꝛem
virtutem:q̄ʒ ſit abſtinentia vel ſobꝛietas :ſʒ hoc
non eſt in genere temperantie:ſed iuſticie. Unde
votum non facit ieiunium eſſe ſpecialem virtu/
tem:ſed trahit ad alteram:ſic ⁊ in pꝛopoſito. Sʒ
ſi virginitas haberet ex voto rationem virtutis
nō eſſet ſpecies temperantie ſe habens ad caſti
tatem:ſicut magnificentia ad liberalitatem: ſed
ſolum eſſet actus caſtitatis elicitiue ⁊ latrie im/
petratiue ppterea ſic ſe habet virginitas ad caſti
tatem:ſicut magnificentia ad liberalitatem: ſed
illa eſt ſpecialis virtꝰ:non ex hoc ꝙ vota:ſed ſo
lum ex hoc :ꝙ habet ſpecialem difficultatem ⁊
bonitatem ergo ⁊c̄.

## Ad argumentū dicēdū

ꝙ non eſt ſimile:qꝛ ad religionem nō ſufficit fir
mitas pꝛopoſiti:ſed requiritur firmitas facti.
Et religio nominat ſtatum ad quam requiritur
immobilitas facti:⁊ per conſequenſ voti. Sʒ ad
rationē virtutis nō requiritur immobilitas facti:
cum quis poſſit a vera virtute decidere ⁊ muta
ri de vere virtuoſo in vere vitioſuʒ. Et iō ſi vir
ginitas diceret ſtatum non habitum poſſet vide
ri:ꝙ requireret votuʒ. Sed ſi dicat habituʒ vir
tutis ſpālis non requirit votum qd̄cunqꝫ. Ad fir
mitatē ēt in religione requiritur votum ſolēne ī
virginitate ſaltem ſimpliciter. Unde augu. dicit
in diffinitione.ſ.de voto ponit hoc :non ꝙ ſit de
neceſſitate virginitatis:ſed eſt de perfectione:qꝛ
deſponſata xpo per votum eſt perfectioꝛ.

## Quantuʒ ad ſecunduʒ

ſ.quomodo poſſideatur virginitatꝭ virtus. Sci
endum ꝙ multis medijs. Unde dicit pſ. Ad/
ducentur. Et pꝛimo quidem opoꝛtet ꝙ addu
catur ad hoc a deo inſpirante ⁊ pꝛincipali agen/
te:ſapientie.8.c. Non poſſum eſſe continens niſi
tu dederiſ.ſ.deus. Secundo opoꝛtet:ꝙ addu
catur ad hoc a ratione iſtud ppoſitum firmiter
eligente ⁊ perpetuo:qd̄ patet ex diffinitione: dū
dicitur ꝙ virginitas eſt in carne coꝛꝛuptibili p/
petue incoꝛꝛuptionis meditatio.i. pꝛopoſitum
perpetuo abſtinendi a delectatione venerea nec
dum experta. Unde virgines coꝛpoꝛe que inten
dunt tempoꝛe ſuo:nubere:non habent habitum
virginitatis:nec aureolam:nec paruuli:qui licet
non cogitent de nubendo nec tamen habere poſ
ſunt ppoſitū continēdi. Eunuchi ēt vel frigidi ſi
īcēderēt expiri delectationē venereā p matrimo
nium vel alium modum:ſi poſſent non habent
habitum huiuſmodi virtutis nec aureolam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed ſi intendunt ab his abſtinere ſi poſſēt: ⁊tiqꝫ hñt: ſicut poteſt credi de eunuchis: quos fecit na buchodonoſoꝛ. ſ. Danielē ⁊ ſocijs eiuſ: dañ. ꝓmo. De nereo ⁊ archileo: qui perſuaſerunt domitille virginitatem. ¶ Tertio oꝫ ꝙ adducantur ad hꝰ a recta intentione. ſ. propter deum nō ꝓpter mū di laudem: aut propter honoꝛē idoloꝝ: ſicut vir gines dee veſte. Unde virgines. 5. que non ſūpſe runt oleum in lāpadibus deſignans charitatem dei in coꝛdibus excluſe ſunt a ſponſo ⁊ clauſa ē ianua: mat. 25. c. ¶ Quarto opoꝛtet ꝙ adducan tur per vias aliquaꝝ virtutū vt humilitatꝭ. Am bro. Decet vt virgo quāto caſtioꝛ tanto humili oꝛ. Unde de quodam ſācto viro legiť: ꝙ vſque ad ſexageſimū etatis ſue ānū ſeruans virginitatē elatus in ſuperbiā eam perdidit. ¶ Quinto per viam ſobꝛietatis: quia ſecundum ber. in delitijs periclitatur caſtitas: ꝓpterea apoſtolus vt virgo perſeueraret: dicebat: Caſtigo coꝛpus meū: ⁊ in ſuitutē redigo. 2. coř. xi. ¶ Sexto ꝑ viā modeſtie ſ. cauēdo ſe ab auditu ⁊ diſcurſu vāis. Coꝛrūpūt bonos moꝛes colloq̄a mala. i. ad coř. 15. c. Et di na que egreſſa eſt domū ad videndū mulieres regionis: amiſit virginitatem coꝛrupta a ſichem geñ. 34. c. Ambroſiꝰ Diſcite virgīes nō curſitare per alienas domos: ñ aliquos in publico miſceř ſermones. Quō aūt perdetur virgītas: dicetur in vltimo. §.

## Quantum ad tertium

ſ. quomō eius dignitas commendatur ⁊ quātū: oſtenditur dum dicitur: regi adducentur. Uere ⁊ veri virgīes regi. ſ. domino ieſu chꝛiſto: q ē rex rgū: vt ſit ſponſe eiꝰ. Magna dignitas iſta. Unde beata agnes dicebat: ipi ſū diſponſata. ſ. chꝛiſto: et nobilitatē huius ſponſi oſtēdi dicēs: vt refert ambꝛoſius in libꝛo de virginitate. Cui angeli ſer uiunt: cuius pulchꝛitudinem ſol ⁊ luna mirantur i. mirabilē oñdūt. Cuiꝰ mater virgo eſt: cuiꝰ pater feminam neſcit: cuius poteſtas celſioꝛ: aſpectus pulchꝛioꝛ: amoꝛ ſuauioꝛ: ⁊ oī gr̄a elegantioꝛ: cu ius opes nūqꝫ marceſcūt: nūqꝫ decreſcunt. Et d̄ oꝛnatis ſibi ab eo collatis ſubdit. Induit me do minus ciclade auro texta. ſ. ſapientie vel dilecta tionis: ⁊ īmenſis monilibus decoꝛauit me. ſ. vir tutum anulo ſuo. ſ. fidei ſubarrauit me: ⁊ coꝛona uit me coꝛona. ſ. ſpei eternoꝝ. Tradidit auribus meis īeſtimabiles margaritas. ſ. verboꝝ ſacre doctrine. Mel ⁊ lac ab eius oꝛe ſuſcepi. ſ. dulce dinis ſpūalis: etiam puritatis per inſpirationem. Sanguis eius oꝛnauit genas meas. i. paſſio īdu xit ad operea patientie que maxime oſtendit ru boꝛem ſanctitatis. Poſuit ſignum in faciem me am: vt nullum pꝛeter eum amatoꝛem admittā: in quantum. ſ. dedit faciem erectam ad celum: vt ipſum contēpler: ⁊ ad perfectum dirigam: nō ad terrena reſpiciam. Uerba ſunt Ambꝛo. Specu lum dedit vniuerſitatis creaturarū: quo poteſt intueri pulchꝛitudinem: non ſolum ſponſi ſed ⁊ ſuam cum oīa ꝓpter ipſū fecerit: ⁊ oīa in ipſa re periantur. Cingulum tempoꝛale amictū ſeu ve ſtitum pꝛudentie. Huic ergo regi tam nobili ad ducentur vere virgines: vt ſponſe eius: ⁊ lꝫ vir ginitas non ſit ſimpliciter excellentioꝛ omnibus alijs virtutibus: qꝛ non maioꝛ theologicis nec pꝛudentia iuſticia vel foꝛtitudine ⁊ humilitate: eſt tamen pꝛecipua in genere temperantie ⁊ mul tum commēdabilis ⁊ pꝛeeminens ex ſex: q̄ pōit pe. de palu. in. 4. di. 33. p3.

## Et pꝛimo ad pꝛemium

accidentale: quod dř auriola: qꝛ nulli parti tem perantie debetur fructus: nec aureola niſi caſti tati: nec aureola ⁊ fructus centeſimus: niſi virgi nitati ſoli. Unde apo. 14. dř ꝙ nemo poterat cā tare canticum illud nouum niſi illa. 144. milia. qui virgines permanſerunt. Canticum illud au reola. i. quoddā gaudiū ſpirituale: qō habēt vir gines qō non poſſunt habere alij ſancti non vir gines: ⁊ ſi maius pꝛemium eſſentiale habeant. ¶ 2° quo ad ſcientiā: qꝛ maxime diſponit ad ac quiſitionem ſcientie ⁊ ſapientie. Unde Jo. euan geliſta virgo magnam de diuinis pꝛe ceteris ha buit cognitionem vt de verbo dei. ¶ 3° quo ad pulchꝛitudinē ſpūalem: non ex eo tm̄: ꝙ paſſio nes concupiſcibiles ſint cōes nobis ⁊ bꝛutis: ſiē eſſe furibundū in cane: ⁊ vindicatiuum in leone ſed quia magis abſoꝛbetur iudicium rationis: que eſt pulchꝛitudo hōis in qua eſt imago dei. ¶ 4° quo ad ſimilitudinē ī pluribꝰ: qꝛ hi ſequū tur agnum. ſ. xp̄m quocūqꝫ ierit integer. ſ. coꝛpo re ⁊ mente: ſiē xp̄s ⁊ incoꝛruptio facit ꝓximum deo: vt dicitur ſapientie: mente ⁊ coꝛpoꝛe ⁊ deꝰ incoꝛruptibilis eſt. ¶ 5° quo ad ſimultatem: qa iſta virtus non eſt ſine alijs: ſed bene econuerſo. Poteſt enim quis habere virtutes alias ſine iſta: ſicut habuit petrus apoſtolus ſine iſta. Et cū dř virtutes omnes eſſe cōnexas ſm magiſtrū ī ter tio ſnīarum: intelligitur vel de virtutibus neceſ ſarijs ad ſalutē: qualis iſta non eſt: ſicut nec ma gnificentia: vel ꝙ ſint cōnexe in radice charitatꝭ cum iſto. ſ. ꝓpoſito: vt ſi eēt a deo pꝛeceptum ſ uare virginitatem: ⁊ nōdum fregiſſet: obediret eam ſeruando. ¶ 6° quo ad raritatem apoc. 14. Uidi turbam magnam: quam dinumerare nēo potat. ſ. ſāctoꝝ. Ponit āt ibi numerꝰ determīatꝰ vir ginum: qꝛ centū quadragintaquatuoꝛ milia: q virgines permanſerūt pꝛo indeterminato tamē ponitur: qꝛ plures ſunt. Et huiuſmodi rō eſt: qꝛ virtus iſta non poteſt recuperari amiſſa materia liter: ⁊ ſi amiſſa quo ad mentem ſolum reparet per penitentiam. Alie autem reparantur ꝑ pnīā tum etiam qꝛ difficilioꝛ ad ſeruandum: ibi enī frequēs pugna ⁊ rara victoꝛia. Omne raꝝ charꝝ. Quamuis enim aliqui per accidens magis tentē tur de gula: alij de alijs vitijs qꝫ de luxuria ſm qualitatem complexionis vel dei diſpenſatione tamen per ſe loquendo maioꝛ ē tentatio luxurie

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ratio poteſt eſſe:q₂ natura magis intēdit con/
ſeruationē ſpei q̄₃ indiuidui:cui indiuiduo ꝓui/
detur ſatiſfaciendo gule vel alijs vitijs. Nec ob
ſtat:ꝙ natura ꝑ₂ius retinet neceſſaria ad nutri/
tiuam ⁊ augmentatiuā:q̄₃ tranſmittat ad genera
tiuam:q₂ hoc non eſt quaſi magis ſolicita ſit de
indiuiduo q̄₃ de ſpē:imo econuerſo.Sed q₂ non
aliter ager₃ indiuiduū ad conſeruand̄ ſpeciem
niſi ipſū indiuiduū conſiſteret.Unde qđ eſt hic
ꝑus in intentione:eſt poſterius in generatione.
Sed hoc eſt:q₂ virtuoſi minuſ ſtudent ſobrieta
ti q̄₃ caſtitati:ꝓpter hoc exercitium ſit facile:qđ
inexꝑto eſt difficile.Rō aūt quare magis virtuo
ſi ſtudent caſtitati q̄₃ ſobrietati eſt:q₂ caſtitas
non amittitur ſine mortali:pn̄t āt deficere a ſo/
brietate per veniale:q₂ illa cōſiſtit in medio qđ
eſt latum:iſta ſcilicet caſtitas eſt in extremo:qđ
eſt indiuiſibile.

## De voluntaria et irre

cupabili amiſſione virginitatis pe.de palu.i.4.
di.33.ſic ait.Mulier perdit virginitatē per hoc:
ꝙ corrūpitur mente ⁊ corpore:altero de tribus
modis:puta ꝑ hoc ſolū clauſtra frāgunť ſibi vo
luntarie:etiā ſi nō ſeminaret nec ſemē reciperet.
Nā concupiſcētia ſpadonis deflorauit virginē
vt ſcribitur:qui l₃ nō poſſ₃ ſeminare:poterat tn̄
clauſtra frangere.¶ 2°.modo per ſeminis virilis
ſuſceptionē:q₂ ſi ita reciperet ſaluo clauſtro:ſic
menſtruū emittit nec ſeminaret:nihilomin⁹ vir
go nō eſſet:q₂ ſic poſſet concipere:puta ſi qs co
gnoſceret virginē voluntariā in hoc circa clau/
ſtra pudoris:⁊ ſemē ad matricē attraheretur:ꝑ/
gnantē enim per naturam nullā diceret virginē
⁊ tn̄ mulieres alique concipiūt:que nō ſeminát.
¶ 3°.ſi ex vehemētia ardoris ſine fractione clau
ſtri ipſa ſeminat:puta voluntarie cogitans de cō
mixtione turpi ⁊ hi⁹ abſq₃ cōmixtione cum alijs
⁊ talis qui corrūpit ſeipſam:vel ab alia muliere
voluntarie corrupta nō d₃ inter virgines conſe
crari:ēt ad tollendū ſcandalum:q₂ nō eſt virgo
vt habetur in 2ᵃ ꝑte.c.de ſcandalo.non tn̄ facer₃
bigamum virum:cū quo ꝯheret mr̄imonium.

## De corruptione autē

voluntaria ſciendum ꝙ nō perditur virginitas
per quācūq₃ corruptionē inuoluntariā₃ corpo
ris:etiam in muliere:vt qn̄ opprimitur ⁊ frāgun
tur clauſtra pudoris ⁊ ſemen viri recipitur:etia₃
ſi inde concipiat ⁊ pariat.Item nec per ꝓꝑam ſe
minationē:qn̄ non ꝓcedit ex cōſenſu nec accep/
tatur a conſenſu qn̄ habetur iudicium rationis.
Si enim dormiēs vir vel mulier polluatur:non
ꝑditur virginitas:ēt ſi in vigilia terminetur pol
lutio:niſi poſtq̄₃ terminata eſt cōplaceat ſm̄ de
liberationē rationis.Uidetur in aliquibus:ꝙ cū
virginitas mentis reſpiciat futurū.Si quis cō/
placeat ſibi ī ꝑterita pollutione:que nō ex elec/
tione ꝓceſſit:virginitas non perditur corpore:
ſed mente tn̄:ꝓtunc enim non perditur corpore:
q₂ illa corruptio tranſit.Prius aūt non fuit per
dita:q₂ conſenſus ꝯfuit.Requiritur ergo vt cō
ſenſus precedat:vt ſi ſentiens ſe caleſactum ob/
dormiret vt pollueretur mulier opprimeretur:
vel requiritur ꝙ cōcurrat tēpore quo poteſt cō
tradicere.Nam durante ſeminatione:non h₃ iu
dicium rōnis:⁊ mulier que opprimitur:ſi ſuſci/
piendo ſemē vel alias qn̄cunq₃ cōſentiat:niſi ſo
lo eo tempore:quo inuite excitata ſeminat:quā
do ſine culpa ſua caret iudicio rationis ꝑdit vir
ginitatē ⁊ non aliter.vnde dixit lucia.Non cor
rumpitur corpus niſi de conſenſu mentis.ſ.quo
ad peccatū vel amiſſionē virginitatis.Nā ſi me
inuitam feceris violari:caſtitas mihi duplicabi
tur ad coronam.32.q.5.§.i.Talis tn̄ non conſe/
cratur inter virgines:⁊ hoc ꝓpter dubium reni
tentie conſenſus:vt.32.q.5.ille.Aut quia ēt non
poteſt ſignificare integritatē ſponſe xpi.ſ.eccleſie
cū corrupta corporaliter ſit ⁊ nō integra ⁊ ſi vir
go.Et cuicūq₃ nuberet faceret ipſum bigamu₃:
q₂ diuiſit carnem in plures.Itē nō ꝙ itegritas
carnis in expientia voluptatis electio actualis ꝑ
violentiā demonis vel hōis infirmitatē vel ſō/
num ⁊ hi⁹ perdi poteſt:ſed per hoc nō ꝑdiť vir
tus virginitatis.¶ Unde bene poteſt eſſe pater
virgo per ſemē emiſſum a dormiente:demone
ſuccubo recipiente:⁊ poſtea per eundem demo
nem incubum factum tranſfuſum in feminam:
cum etiam ſuſcipiendo ſemen virile ſaluo clau/
ſtro mulier poteſt concipere:ſed in partu perdit
virginitatem:ſed virginitatiſ virtutem retinebit
pater ꝑdictus:⁊ vi ēt oppſſa pariens aureolā ēt
vtiq₃ hebit.Unde ī cronica martiniana legitur
de merlino:ꝙ fuit filius diaboli:q₂.ſ.conceptus
per monialē ex demone ſuccubo ⁊ incubo ipſi⁹
Et de antichriſto aliqui dicūt:ꝙ ſimili mō con
cipietur.vnde dicit eum apl̄s filiū perditionis.
Quāuis aūt dicant qdam virginitatē ſtatū dicer̄
nō virtutē ſpecialē:cōior eſt opinio:ꝙ ſit virtus
ſpecialis:que emiſſa ſemel nō recupatur.Unde
hiero.Cum poſſit oīa deus:virginem non poteſt
ſuſcitare poſt ruinam.Ualet quidem de pena li/
berare ſed non valet coronare corruptam.32.q.
5.ſi paulus.

¶ De ſtatu virginum ⁊ de conſecratione virgi/
num:⁊ de multis que pertinent ad debitam con
uerſationem earum. capi.2.

## Conſecratio virgi

num ꝑtinet ad epm̄ nō ad inferiores:q̄
tamē conſecratio non ē ſacr̄m nec per eam cha
racter imprimiť:ſed ē qđdam ſacrale:per qđ cō
fertur ſm̄ tho.grā:⁊ operatur ad remiſſionē ve
nialiū:ſicut ī vnctione regū ⁊ hi⁹ alijſ benedictio
nibus:⁊ hoc niſi impedimentū preſtetur ex ꝑte
ſuſcipientis:nec fit iſta conſecratio oib⁹ v̄ginib⁹:

E

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſed ſolum religioſis: vt monialibus obligatis ꝑ
ꝓfeſſionem ad eſſentialia vota: nec etiam oib⁹
monialibus. Nam moniales ordinum mendicā
tium: ⁊ etiam alique alie non ↄſecrātur ab ep̄o.
Ratio autem quare ſolus ep̄s cōſecrat v̄gines:
ē ſm tho. in. 4. ſ. di. 38. q. i. ar. 5. qꝛ ſicut per matri
monium carnale repn̄tatur matrimoniū ſpūale
inter xp̄m ⁊ eccl̄iam quo ad fecunditatem: ita ꝑ
velationem virginum repn̄tatur idē matrimoni
um ſpūale q̄tum ad eius integritatem: vt pꝫ per
omnia que ibi ꝓferuntur ⁊ gerūtur. Et ꝓp̄t hoc
ſolus ep̄us virgines velando deſponſat non ſibi
ſed xp̄o: quaſi ſponſi paranymphus ⁊ amic⁹. Et
quia integritatis ſignificatio plene pōt eē ſolum
in continētia virginali: ſed ſemiplene in viduali:
ꝓpter hoc viduis datur aliud velum: ſed nō cuꝫ
illa ſolennitate qua datur virginibus. Intelligē
da autem videtur hec integritas eccleſie: qꝛ vꝫ
integritatem ſemper ſeruat in fide vera ⁊ rectitu
dine vite: in nullo errore vel vitio corrupta: ſm
illud. 2. cor. 8. Deſpondi vos vni viro virginem
caſtam exhibere xp̄o. Una ē ergo virgo mater ⁊
ſemper immaculata eccleſia ait beda. Pōt etiaꝫ
deſignare matrimonium inter xp̄m ⁊ eccleſiam
triumphantem: vbi nulla corruptio corporis vł
mentis. Nec enim nubent nec nubentur: ſꝫ erūt
ſicut angeli dei: mat. 22. Angelis autem ſemꝑ eſt
cognata virginitas.

## Et notandum quod tri

plicit̄ pōt aliqua eē virgo. ¶ Uno mō materialit̄
tantū: vt illa que non ē experta actum venereuꝫ
ſed intendit experiri vel per cōiugium vel per ac
tum illicitum extra coniugium: vel qꝛ de neutro
deliberat: qꝛ nondum hꝫ vſum rōnis: ⁊ talis non
conſecratur: nec ei debetur aureola virginitatis
niſi poſtea ꝓponat firmiter in v̄ginitate ꝑmanēr
⁊ doleat de cognitione carnali: qđ tantum mēn
te non opere cōmiſit. ¶ 2° dicitur v̄go formalit̄
tantum que. ſ. habens firmū ꝓpoſitum virgini
tatis violenter corrupta ē ab alio: ipa ſemꝑ rōe
renitente: ⁊ talis virgo ē nec amittit aureolā vir
ginitatis: ſed tn̄ nō pōt nec dꝫ conſecrari iter vir
gines: vt. 32. q. 5. ille famule. ⁊ rō ē ſm alber. quia
difficile ē in tali actu: ꝙ voluntas non eliciat ali
quem ↄſenſum: vnde cum de pleno diſſenſu ec
cleſie conſtare non poſſit: iō eccleſia ſtatuit vt n̄
cōſecrentur. ¶ 3° dicitur virgo materialiter ⁊ for
maliter que. ſ. nō eſt experta actū venereū: ⁊ fir
miter ꝓponit ab hi⁹ abſtinere: huic debet̄ aureo
la: nec tamē cōſecratur inter virgines niſi ſolēni
ter ꝓfeſſa in religione approbata. Qz ſi taliſ mo
nialis eēt occulte corrupta: non debet cōſecrari
Et q̄uis Guil. dicat ꝙ talis ad vitandum ſcan
dalū poſſit cōſecrari: puta qꝛ in tali monaſterio
conſueuerūt oēs conſecrari. vnde ſi talis occul
te corrupta non conſecraret̄ hēretur ab alijs ſu
ſpecta de corruptione eius: ⁊ ſic manifeſtaretur.
Tamen alber. ⁊ tho. in. 4. ſ. di. 38. q. i. ar. 5. ad vl
timum ar. dicunt ꝙ talis non dꝫ cōſecrari: qꝛ ꝓ
pter vitandū ſcandaluꝫ cuiuſcūq; nō debēt mu
tari ſacra eccleſie nec ſacralia: vt eſt conſecratio
virginū. Sed bene poſſet vti aliqua cautela: vt
ſeruatis quibuſdā cerimonijs: que nō ſūt de ſub
ſtantia veli virginalis: cū ep̄s dicit formā muta
ret nomē virginitatis in nomē caſtitatis. Et cō
cor. gof. ⁊ hoſti. ſed pe. de pa. in. 4. dicit talē cau
telam non eſſe licitam: qꝛ eſſet mendacium ſeu
fictio in facto rei ſacralis.

## Notandum ſecundum

pe. de palu. in. 4. di. 38. ꝙ eſt quincuplex velum
ſecundum canones. ¶ Primū eſt velum profeſ
ſionis: qđ datur feminis. 12. anno completo: 20. q
2. puella. Et hoc velum portant in religionibus
oēs ꝓfeſſe. ¶ Secundū eſt velum cōſecrationis
qđ datur ā̄no. 25. etatꝭ: vt. 20. q. i. placuit. ⁊. q. c. c.
deuotis. dicitur ꝙ iſta velatio virginalis fiat ſo
lum in epiphania ⁊ in albis paſchalibus ⁊ i feſtis
apoſtoloꝝ: ſed cōſuetudo hꝫ ꝙ fiat etiam dn̄icis
diebus ⁊ alijs feſtis ſolēnibus ⁊ etiam ante tp̄s
dicte etatis. ¶ Tertium eſt velum ordinatiōis
qđ datur āno. 50. vt 27. q. i. vbi dicit̄ diaconiſſā
non debere ordinari ante annum. 40. vbi dicit
glo. ꝙ diaconiſſa hic appellatur: non ex eo ꝙ ei
conferatur ordo diaconatus: cuꝫ non ſit mulier
capax alicuius characteris ſeu ordinis: ſed quia
cōfertur ei aliqua benedictio: ex qua accipit of
ficiū inchoandi horas in choro: ⁊ legē omeł. qđ
alijs nō lꝫ. Unde ⁊ ab ep̄o datur ei breuiarium
ad tangendū: vbi ſunt omeł. de euangelijs in ma
tutinis Et hoc adhuc ſeruatur ⁊ fit poſt cōſecra
tionem earum in eodem officio miſſe: ſed nō cō
ſueuit dari aliqđ velum in hoc: ſed nec etiaꝫ illa
etas. ſ. vt ſit quadragenaria expectatur: ſed d̄ cōi
cōſuetudine eſt vt cū conſecratur: que conſecra
tio ſeu velatio etiā fit ante. 25. annū: cōiter p⁹ cō
ſecrationem ordinatur. ¶ Quartum velum d̄
ꝑlationis qđ dabatur abbatiſſis. 60. anno etatis
vt. 20. q. i. iuuenculis. ſed iure nouo ꝓuiſum eſt:
ꝙ habēs. 30. ānos cōpletos poſſit fieri abbatiſſa
vt de elec. c. indēnitatibus li. 6. ſed nec tunc ſm
pontificale datur velum: ſed fit officiū quoddaꝫ
⁊ benedictio: vt ibi notatur. ¶ Quintū eſt veluꝫ
continentie ⁊ obſeruationis: ⁊ hoc eſt viduaruꝫ
27. q. i. vidua. hoc velum poteſt dari ⁊ ab ep̄o ⁊
a ſacerdote: vt dicit glo. 20. q. i. vidua. ⁊ ipſa etiā
met accipere ab altari facta ꝓfeſſione coraꝫ ſua
ꝑlata. Et poteſt dari tale velum continentie vir
ginibus ⁊ viduis. Sed velum virginale nō pōt
dari niſi virginibus: nec ep̄s poteſt in hoc diſpē
ſare. 20. q. i. de votis. ¶ Quidam aūt adducit. 6.
velum. ſ. ꝓbationis qđ dat̄ in monaſterio qn̄ re
cipitur ad habitū ante ꝓfeſſionē: qđ cōiter ē al
bum. Nam alia ꝑdicta cōiter ſunt nigra: in mul
tis etiam mōaſterijs hoc ſeruatur: vt ea die qua
cōſecrātur virgines eadē die ꝓus ꝓfiteatur corā
ep̄o ⁊ abbatiſſa. Idē pe. dicit ꝙ nullus niſi ep̄s

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

virgines velare poteſt.zo.q.i.deuotis. Ipſe enī
eſt quaſi ſponſus paranymphus dſponſās xpo
virginē.n. Abbatiſſe vero nullaʒ monialē velo
virginū velare poſſūt.zo.q.z.ſtatuim⁹., Nec h⁹
poteſt eps nō exēti epo demandare:qꝛ hoc ē cō
ſecratiōis ⁊ ordinatiōis epalis:ſicͤ ⁊ cōſecrare ec
cleſias:⁊ iuriſdictiōis:ex̄ ō cōſe.eccl'.vl'alta.aq̄.
Et ex his apparet q̄ religioſe monialis ordinis
mendicantiū:que velantur a p̄latis earꝫ:nō epis
velo virginū cum ſolēnitate:qua velātur ab epo
excepta datione anuli ⁊ coronatione non bn̄ fa
ciunt:nec qui velant eas:cum videātur vſurpar̄
officiū eporum:niſi hoc habeant ex cōceſſione
a papa. Idē pe.dicit:q̄ mōiales occulte corrup
te ſiue a viris ſiue aliter:nullo modo ſūt velāde
velo virginum:nec ēt ꝓpter vitandū ſcandalū.
Sed verū eſt:q̄ ſi eps hoc ſit in confeſſiōe vl'ēt
aliter:ſed occulto modo nō debet taleʒ publice
repellere:ſed admittere:ipſa tamē que eſt cōſcia
de corruptione perfecta mortaliter peccat eam
ſuſcipiendo. Et idem vr̄ de his que hoc ſciētes
ad conſecrationē ſolicitant:ſecus ſi permittāt cū
eſt occultum. Poteſt aūt ſe excuſare non mani-
feſtando peccatum:ſed tanq̄ʒ ex humilitate:vt i-
digna recuſet.

## Nota de tētationibus

carnis continētiuꝫ virginū vel viduarꝫ. Dicit pe.
de palu.i.4.di.35.q.i.in fi.q̄ moleſtatū a paſſio-
bus nō oportet deſperare de defectu habit⁹ īfuſi
vel acquiſiti. Nā q̄ dicit philoſophus:q̄ tēpe-
ratus nō moleſtatur paſſionibus:ſed faciliter ⁊
delectabiliter ⁊ ꝓmpte deuincit eas:ſed cōtinēs
moleſtatur appellans continētem:qui nō habet
habitū firmum virtutis tēperantie:intelligit̄ de
tempantia acquiſita ⁊ tentatione a carne:q̄ duo
ſolum nouit philoſophus:⁊ nō de tempantia īfu
ſa ⁊ tētatione ab hoſte:que duo non nouit philo
ſophus. Contingit enim qn̄q̄ʒ habētem tēpantiā
acquiſitam a demone ita grauiter tētari:ſicut a
carne nō habēte aliquem habitū:qꝛ poteſt īflā-
mare carnem:⁊ imaginationem per motionem
ſpecierū ⁊ ſpirituum ⁊ mare:ſi permittatur plus
q̄ʒ naturaleſ motus inſurgūt. Unde ⁊ paulus di-
cebat. Datus eſt mihi ſtimulus carnis angelus ſa
thane:qui me colaphizet.z.cor.ii.c. Unde q̄ʒuis
haberet habitū virginitatis acquiſitum ⁊ infuſū
nihilominus caro nō a ſe:ſed a demone ſic inſti-
gabatur:ſic acriter īpugnabat:ſed dictum eſt ei.
Sufficit tibi gratia mea:qꝛ habitus acquiſitus
ſufficit ad domandam oēm tentationem natura
lem:ſed nō tentationem que eſt ab hoſte:ſʒ habi
tus gratuitus continentie ad vtrunq̄ʒ. Et ſi non
eēt illa carnis que eſt qn̄q̄ʒ cū imaginatiōe qn̄q̄ʒ
ſine imaginatione. Illa hoſtꝭ.que qn̄q̄ʒ eſt ſola
imaginatione:eſt grauior oī alia:que tn̄ aliqn̄ ēt
ad inflāmationem carnis deſcendit ⁊ tunc for-
tior eſt vt carnis afflictio requiratur:ſicut beat⁹
benedictus tentatus ſe ꝓiecit in ſpinas.hec pe.

Et beatus franciſcus poſt flagella:cum nō ceſſa
ret tētatio:nudum ſe poſuit inter niues. Et beat⁹
ber.adhuc ſecularis:ſed virgo ſe īmiſit in aquis
gelidis. Hic legimus ſanctā abbatiſſaʒ ſarai vir
ginem vſq̄ʒ ad ſenectutem vitio carnis tentatā:
ſed viriliter reſiſtentem in vitis patrum. Et bea
tam catherinā de ſenis virginem ad tps grauiſ-
ſime tentatam per imaginationes a diabolo in
miſſas ſed victorioſam ⁊ de multis alijs. Unde
ꝓ cōcluſione notetur verbum gregorij dicentꝭ.
Nequaq̄ʒ īmunda cogitatio cū mentem pulſat
maculat:ſed hanc per delectationē ſuperat:ō pe
niten.di.z.c.inter hec. Oratione ergo pugnādū
eſt contra hoc:vt paulus fecit:ter dn̄m orans:⁊
humiliatione intelligens illud ſapie.8.c. Nō poſ
ſum eſſe contin ens :niſi tu dederis.ſ.dn̄s. Et h⁹
ſcire donum dei eſt:⁊ ſe diſcrete affligere ad do-
mandum carnem.

## De inſtrúctione virgi

nitatis ab īfantia. Hiero⁹ad alethā ſic ait. Filia
tua cantica mundi ignoret turpia non intelligat
Adhuc tenera lingua pſalmis dulcibus imbuat̄
Procul ſit etas laſciua puerorꝫ:habeat in adiſcē
do ſocias :quibus inuideat:quarū laudib⁹ mor-
deatur nec eſt obiurganda ſi tardior ſit:ſed lau-
dibus excitandum ingeniū:vt viciſſe ſe gaudea
at ⁊ victa doleat. Caue ne ineptis blādicijs femi
narum dimidiata ſimilia verba dicere conſueſ-
cat:ne in auro aut purpura' diſcat laudem : quo-
rum alterum lingue alterum moribus officit.
Greca hiſtoria narrat alexandrum orbis domi
natorem in moribus:⁊ inceſſu pedagogi ſui leo-
nidis:non potuiſſe carere vitijs :quibus adhuc
paruulus fuerat infectus. Procliuis eſt enim ma
lorum emulatio :⁊ quorum virtutes aſſequi ne
quis:cito vitia imitaris. Modeſtam habeat nō
garrulam nutricem grauem:cum anum viderit
in pectus eius tranſiliat ⁊ collo dependeat volē
ti:all'a decantet. Sit omnib⁹amabilis :⁊ vniuer
ſa propinquitas roſam ex ſe natam gaudeat:ipſe
habitus doceat eam cui promiſſa eſt . Caue ne
ceruſſa ⁊ purpuriſſa ora xpo conſecrata de pin-
gas:ne collum auro ⁊ margaritis p̄mas:nec ca-
put gēmis ornes nec capillum:⁊ aliquid ei ō ge
henne ignibus auſpiceris. Et ita heli ſacerdos of
fendit dominum ad vitia liberorum. Si autem
etas perfecta ⁊ ſui iuris parentibus imputatur:q̄ʒ
to magis lactens ⁊ fragilis:que ignorat boni et
mali diſtantiam:qui itaq̄ʒ paruulus ē: ⁊ ſapit vt
paruulus:donec ad annos ſapientie peruenerit:
tam mala eius q̄ʒ bona parentibus imputātur.
Si ſollicita es ⁊ prudens:ne filia tua percutiat̄ a
vipera:cur non eadem cura prouideas ne ꝑcuti
atur a malleo vniuerſe terre:ne egrediatur cum
dina:vt videat mulieres religionis aliene:ne lu-
dat pedibus:ne trahat tunicas. Uenena non dā-
tur niſi melle circūlita:⁊ vitia non decipiunt:niſi
ſub ſpecie virtutum. Non veſcatur filia in publi

coꝛ.in parentum conuiuio:nec videat cibos quos
deſiderꝫ.Et licet quidam putent maioꝛis eē vir
tutis pñtem contemnere voluptatem:tñ ego ſe
curioꝛis arbitro꞉ continentie:neſcire quod que
rat:carnium edulio ſuſtentent:ne pꝛius deficiāt
pedes:q̄ꝫ currer̄ incipiant nuſq̄ꝫ abſqꝫ te ꝓcedat
in publicum:baſilicas in publicum ⁊ eccl̄ias ſi
ne matre nō adeat.¶ Nulliꝰ ei iuuenis cincinna
tus arrideat.Nolo aliquā ꝺ ancillulis ſuis plus
diligat:cuius crebꝛo auribus inſuſurret.Quic
quid vni loquitur omnes ſciant.Placet ei cōes
non compta:non foꝛmoſa:que liquido gutture
carmen dulce moduletur:ſed grauis pallēs ſoꝛ
didatus ſubtriſtis.Nocte ad oꝛationes ſurgat:
hymnos mane decantet.Oꝛationi lectio ſucce
dat lectioni oꝛatio:diſcat ⁊ tenere colluꝫ:rotare
fuſum:ſtamina pollice ducere:ſpernat bombicū
thelas:ſericum vellera:⁊ aurum in fila lenteſcēs
Talia parent veſtimenta:quibus frigus pellat̄:
non quibus veſtita coꝛpoꝛa videantur.Cibꝰ eiꝰ
oluſculum ſit ⁊ ſimilia:raroqꝫ piſciculi:ſic come
dat vt ſemper eſuriat:⁊.ſtatim poſt cibuꝫ poſſit
oꝛare ⁊ legere.Diſplicent mihi in teneris maxīe
etatibus lōga ⁊ immoderata ieiunia.Experimē
to didici aſellum in via:cum laxus fuerit:querē
diuerticula.Hoc in perpetuum ieiunium ꝓceptū
ſit:vt longi itineris perpetes vires ſuppetāt:nec
in ꝓma manſione currētes coꝛruentes ī medijs.
mihi omnino lauacra in virgīe adulta diſplicēt:
que ſeipſam debet erubeſcere:⁊ nudam videre
non poſſe.Si enī ieiunijs ⁊ vigilijs macerat coꝛ
pus ſuum:⁊ in ſeruitutem redigit:cur ecōtrario
balnearum fomentis ſopitus ignis ſuſcitat̄ pro
gēmis ⁊ ſerico:virgo tua diuinos codices amet
quibus non auro ⁊ pellis babylonie vermiculata
pectura:ſed ad fidem emendata ⁊ erudita diſtic
tio.Caueat oīa apochꝛypha:iurare nō diſcat:
mentiri ſacrilegium putet.Trade ei comitem
ſanctitatis:cuius ⁊ ſermo ⁊ inceſſus ⁊ habitꝰ vir
tutum doctrina ſit.hec hieroꝰ.

## De exercitio virginis

⁊ eius ſocietate.Hieroꝰ.ad demetriadem virgi
nem dicit:Preter pſalmoꝛum ⁊ oꝛationis oꝛdi
nem:qō tibi oꝛa.3.6.⁊ nona ad veſperuꝫ medio
noctis:⁊ mane ſemꝑ exercendū.ſtatue quot ho
ris ſanctam ſcripturam edocere debeas:quāto
tempoꝛe legere non ad laboꝛem:ſed ad inſtruc
tionem aīe ⁊ delectationeꝫ.Cūqꝫ finieris ſpacia
⁊ frequenter te ad fingenda genua ſolicitudo aī
ſolicitauerit:habeto lanam ſemper in manibus
aliarūqꝫ filamina:aut in globum collige:aut te
xenda compone:que texta ſunt reſpice:que erra
ta repꝛehende:que facienda conſtitue.Si tātis
operum varietatibus fueris occupata:nūq̄ꝫ tibi
dies longi erunt nec tibi iccirco eſt ab opere ceſ
ſandum:qꝛ deo pꝛopitio nulla re indiges.Sed
ideo cum oībus laboꝛandū eſt:vt ꝑ occaſioneꝫ
operis nil aliud cogites:niſi qō ad dn̄i pertinet

ſeruitutem.Simpliciter loquar:q̄ꝫuis oēm ſēſū
tuū in pauperes diſtribuas:nihil apō xp̄m erat
ꝓcioſius:q̄ꝫ ꝙ manibus ipſa cōfeceris vel ī vſus
ꝓpos vel in exemplum virginum ceterarū:vel
qō auie matriqꝫ offeras maioꝛa ab eis in refec
tionem pauperū ꝓcia receptura.Solet tamē in
pleroſqꝫ eē certamē:vtrum ſolitaria aut cū mul
tis ſit vita melioꝛ:quaꝝ pꝛioꝛ ꝓfertur ſecunde:ſꝫ
in viris periculoſa eſt:ne ab ſtracti ab hoīuꝫ fre
quentia ſoꝛdidis ⁊ ipijs cogitationibus pateāt
⁊ pleni arrogantia ⁊ ſupercilio cunctos deſpi
ciant:armētqꝫ linguas ſuas vel clericis vel mōa
chis alijs detrahēdo:q̄ꝫto magis in feminis:qua
rum mutabilis fluctuāſqꝫ ſnīa:ſi ſuo arbitrio re
linquatur.cito ad deterioꝛa dilabitur.Noui in
vtroqꝫ ſexu per nimiam cerebꝛi ſanitatē in qui
buſdam fuiſſe vexatam:pꝛecipue qui ī humectꝭ
⁊ frigidiſ hītauē cellulis:ita vt neſcirēt qd agerēt
q̄ue ſe vterēt qdꝰ loqꝰ qd tacē dberēt.Bonum ē
obedire maioꝛibus ꝑere perfectis:⁊ poſt r̄gulas
ſcripturaꝝ vite ſue tramitem ab alijs diſcere.nec
ꝓceptoꝛe vti peſſimo.i.ꝓſūptione ſua.De talibus
feminis loq̄t aplꝰs.Que circunferunt̄ omni vēto
doctrine ſemꝑ diſcentes:⁊ nūqꝫ ad ſnīam veri
tatis peruenietes.Graues femine ⁊ maxime vir
gines ⁊ vidue eligantur:quaꝝ ꝓbata ſit conuer
ſatio.ſmo moderatus:ſācta verecūdia fuge la
ſciuiam puellaꝝ que oꝛnant capita:crines a fron
te demittunt:cutem polliunt aſtrictas habēt ma
nichas ſine ruga:ſocchos cꝛiſpantes:vt ſub nomi
ne virginali:vendibiliuſ pareāt.Moꝛes plerūqꝫ
dn̄arum ⁊ ſtudia ex ancillarum ⁊ comitū moꝛi
bus iudicātur.Illa ſit tibi pulchꝛa ⁊ amabilis q̄
neſcit ſe eē pulchꝛā.que negligit foꝛme bonum:
⁊ ꝓcedens ī publicuꝫ nō pectus ⁊ colla denudat
Sed celat facieꝫ.⁊ vix vno oculo qui eſt vie ne
ceſſariꝰ patenter graditur.Cinaedos pueros ⁊ ca
lamiſtratos ⁊ peregrini muris dentes pelliculas
quaſi peſtes ⁊ venena pudicitie deuita hec ille.
Qꝫ ſit periculoſū virgines conuerſari inter ſecu
lares vel laute viuere oſtendit idem hieroꝰ ī epi
ſtola ad matreꝫ ⁊ filiā in gallia mittēs alias ſcri
bens.Si virgo es inquit:quid times diligenteꝫ
cuſtodiā ſ.mr̄is vl̄ alteriꝰ.Si coꝛrupta cur palā
n̄ nubiſ.Secūda poſt naufragiuꝫ tabula ē ꝙ ma
le ceperas hoc ſaltē remedio temperare.Quid
tibi neceſſe ē in ea domo verſari in qua neceſ
ſe habeas aut quotidie ꝑire aut vincere.Quis
vnqꝫ iuxta viperam ſecurus doꝛmit:que ⁊ ſi
non percutit certe ſollicitat.Securius eſt ꝑire
non poſſe q̄ꝫ iuxta ꝑiculum non ꝑire.Inter laſci
uas puellas ⁊ comatos iuuenes puella grade
ris.Dabit tibi barbaculus quilibet manum ⁊ ꝓſ
ſis digitis:aut tentabitur aut tentabit.Erit tibi i
ter viros ⁊ matronas conuiuiū.Spectabis alie
na oſcula.In alijs ſericas veſtes deauratalqꝫ nu
meraberis.In ipſo quoqꝫ conuiuio vt veſcaris
carnibus quaſi inuita cogeris.vt vinum bibas
dei laudabit̄ creatura.vt lauerꝭ balneis:ſoꝛdibꝰ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

detrahetur. Inter hec aliquis aſſiſtentium vel
conuiuantium: quoniam non alienas audebit
vxores teq3 cuſtodem nõ habes ſepius reſpec-
tabit. Loquetur nutibus ⁊ q̄cquid metuetur di-
cere ſignificabit affectibus. inter has ⁊ tantas il
lecebras voluptatum etiã ferreas mẽtes libido
domat: que maiorem in virginib9 patitur famẽ
du3 dulcius putat eẽ qđ neſcit. Uidim9 aliquez
oſſibus vix habentẽ illicitis arſiſſe amoribus:
⁊ ante vita caruiſſe q̃3 peſte. Quid facies puella
ſani corporis: delicata pinguis: rubens: eſtuans
inter carnes ⁊ vina et ad balnea iuxta maritos:
iuxta adoloſcentes: que ⁊ ſi rogata non feceris
tñ deforme putes teſtimoniu3: ſi rogeris ĩlibidi
noſa menſ ardentius honeſta pſequitur: ⁊ qđ nõ
licet dultius ſuſpicatur. Difficile inter epulas ſua
tur pudicitia. Nitens cutis ſordidum oſtendit
aĩum: veſtis etiã ipſa tacentis aĩ indicium ẽ. Si
rugam non hẽat: ſi per terrã vt altior videaris
trahatur. Si de induſtria diſſuta ſit tunica vt ad
int9 appeat. ¶ De ieiunio modeſtia ⁊ elya a vir
gine ſeruandis hiero9 in ep̄la ad demetriadem
virginem. Ieiunior tibi ſunt arma ſumẽda ⁊ ca
nenda cũ dauid. Humiliabã in ieiunio aĩa3 me
am. Eua per cibu3 eiecta eſt de paradiſo. Hely
aſ. 40. dieru3 exercitatuſ ieiunio igneo curru ra
pitur ad celum. Moyſes ieiunãs. 40. diebus ⁊
40. noctibus dei familiaritate paſcitur. Aduer
ſus iuuenes ⁊ puellas diabol9 ardoris etate ab-
utitur: ⁊ inflãmat rotã natiuitatis. Hec ſunt igni-
ta diaboli iacula que vulnerant ⁊ inflãmant ⁊ a
f̄ge babylonis. i. diabolo trib9 pueris p̄paratur.
Sed quõ ibi quartus apparens habens q̃ſi ſpe-
ciem filij hõis imenſos mitigauit ardoreſ. Sic ⁊
in aĩo virginali ⁊ celeſti rore ⁊ ieiunior frigore
calor puellaris extinguitur: ⁊ hũano corpori an-
gelor impatur cõuerſatio. Ob rem ⁊ vas elec
tionis de virginibus dicit ſe nõ hẽre p̄ceptũ: q2
extra naturam: imo vltra natura3 eſt virginita
tis decerpere poma: ⁊ in corpore viuere ſine cor
pore. Neq3 vero tibi ĩmoderata ĩpam9 ieiunia.
enormẽ cibor abſtinentiam quib9 cito corpora
delicata franguntur: ⁊ antea egrotare incipiũt q̃3
ſancte cõuerſationis iacere fundamẽta. Philo-
ſophor ſnĩa eſt moderatas eẽ virtutes: ⁊ excedẽ
teſ modũ atq3 menſurã inter ṽtia r̄putari. De mo
deſtia ait idẽ hiero9. Imitare ſponſũ tuum. ſ. xp̄3
qui fuit parentibus ſubiectus. eſto auie m̄ric3
ſubiecta. Nullum viror ⁊ maxime iuuenu3 niſi
cũ illis videas nullum ſcias: quẽ ille neſciãt. Eu
nuchorũ tibi ⁊ puellar mores magl elegant q̃3
vultuũ elegantia. Scurrilitas ⁊ laſciuia te pñte
non habeant locũ. Nũq̃3 verbum inhoneſtũ au
dias qn iraſcaris. Rideri ⁊ ridere ſecularibus
relinque. Grauitas pſonã tuã decet. Affectus ⁊ p
turbationes q̃3diu in hui9 corporis tabernaculo
habitamus moderari ⁊ regẽ poſſumus amputa
re nõ poſſumus. De elya ait. Da pauperib9 nõ di
uitibus: nõ ppinquiſ: non ad luxuriam: ſed ad ne

ceſſitatẽ. Siue ille ſacerdos ſit: ſiue cognatus:
ſiue affinis. Nihil in illo aliud q̃3 paupertatẽ cõ-
ſideres. Laudent te eſurientiũ viſcera nõ ructu-
antium opulenta conuiuia. Alij edificent eccl̄iaſ
colũnarum deaurent capita. Altaria ebore ⁊ au
ro diſtinguant non reprehẽdo vnuſqſque in ſen
ſu ſuo abundet. Meliuſq3 eſt hoc facere q̃3 r̄po
ſitis opibus incubare. Sed tibi aliđ ppoſitum
ẽ xp̄m veſtire in pauperib9: paſcere in eſuriẽtib9
viſitare in languentibus: ſuſcipere in his q̄ tecto
indigent: ⁊ maxime in domeſtico fidei. Uirginũ
alere monaſteria. Seruor dei ⁊ paupũ ſpu hẽre
curam qui diebus ac noctibus ſuiunt deo tuo.
Qui in terra poſiti imitantur angelor conuerſa-
tionẽ: ⁊ nihil aliđ loquũtur niſi qđ ad dei laudẽ
ptin3. De frequentia orõnis ⁊ meditatiõe paſſio
nis xp̄i ⁊ ſanctor ⁊ gloria ſupne quã deb3 virgo
ſeruare. Idẽ hiero9. Quãuis ap̄ls ſemp nos ora
re iubeat ⁊ ſanctis etiã ipſe ſõnus orõ ſit: tamen
diuerſas orãdi debemus habere horas: tertiam
⁊ ſextã. ſ. ⁊ 9. ¶ Cibi nõ ſumãtur niſi orõne pmiſ
ſa: nec a menſa ſurgendum niſi gratia referatur
creatori. Egredientes de hoſpitio armet oratio
regredientibus occurrat oratio: prius q̃3 ſeſſio.
Ad oẽm inceſſum manuſ pingat crucẽ: te ipſam
conſiderans noli in alterius ruina gloriari ſed ĩ
tuo ope. Ne dicas illa ⁊ illa ſuis reb9 ſinitur. ho-
noratur ab hõibus: fratres ad illam veniũt ⁊ ſo-
rores. primum dubiũ an talis virgo ſit. nam hõ
videt in facie deus in corde: deĩde ſi virgo ẽ an
ſpu virgo ſit neſcio. Ap̄ls. n. virginem diffinit: vt
ſit ſancta corpore ⁊ ſpu: ppone tibi beatã mariã
ad quã cũ angelus gabriel in viri ſpe deſcẽdiſſ3
pterrita ſedere nõ potuit. Nũq̃3 eni3 fuerat a vi
ro ſalutata. hec que diximus dura videtur ei q̄
nõ amat xp̄m: amemus ⁊ nos xp̄m ſemp: ⁊ eius
q̄ramus ãplexus: ⁊ facile videbitur oẽ difficile:
filius dei p ſalute nr̄a hõis factus eſt filius. No-
uem menſibus in vtero vt naſcatur expectat fa
ſtidia ſuſtinet armẽtatus egreditur: pãnis inuol
uitur: ⁊ ille pugillo mundum ĩcludens breui p̄-
ſepio collocatur: deridetur: verberatur: crucifigi
tur. Quid retribuã ergo dño p oĩb9 q̄ retribuit
mihi. calicẽ ſalutarꝭ accipiã ⁊ nomen dñi ĩuoca-
bo. Idẽ hec ſola ẽ digna r̄tributio: cũ ſanguis ſã
guine penſatur. Apoſtolus ĩ laboribus plurimis
gloriat̄: in carceribus abũdantius: ĩ plagis ſupra
modum ĩ morib9 frequẽter in fame ⁊ ſiti ⁊ cete
ra. Nos ãt ſi cibus inſulſior fuerit: contriſtamur
calix frangitur: mẽſa ſubuertit̄: verbera ſonant.
Regnũ celor vim patitur: niſi vim feceris celo
rum regna non capies: niſi pulſaueris importũe:
panem non accipies ſacramenti. Egredere q̃ſo
paulíſper de carcere: ⁊ preſentis laboris merce
dem ante oculos tuos pinge: quã oculus non vi
dit. Qualis erit illa dies cum tibi maria mat̄ do
mini choris occurret comitata virgineis: cu3 p9
mare rubrũ pharaone ſubmerſo: cum exercitu
ſuo tenens tympanu3 ceteris inquiet reſpõſurꝭ.

Cantemus dño glorioſe. Tūc thecla in tuos le
ta volabit ãplexus. Tūc ꝛ ipſe ſponſus occurret
ꝛ dicet. Surge ꝓpera amica mea colūba mea
ꝛc̃. Tūc angeli mirabūtur ꝛ dicēt. Que eſt iſta q̃
ꝓgredit̃: videbūt te filie ꝛ p̃dicabūt regie ꝛ lau-
dabunt. Sara cū nuptis obuiã veniet: anna cū
viduis: pueri quoqꝫ clamabūt: Oſanna in excel-
ſis. Quotiens te vana ſeculi delectat ãbitio: quo
tiens ibi aliquid videris glorioſum: ſic ad para
diſum mente ꝯſcende. hec hieronymus.

## De cautela virgini ha

benda cōtra pericula ꝛ ſolitudine tenenda. Hie
ro. ad euſtochiū. Obteſtor corã deo ꝛ angelis
eius ne vaſa tēpli facile in publicis ꝓferas: ne ſa
crariū dei quiſꝙ̃ ꝓphanus inſpiciat. Ozias arcã
quã nō licebat contingens morte ſubita ꝓſtrat9
eſt. Neqꝫ enī aureū vas ꝛ argenteū tam deo cha
rum fuit: q̃ꝫ tēplū corporis virginal': p̃ceſſit vm-
bra: nunc veritaſ eſt. Sponſa xp̃i arca eſt teſtī in
trinſecus ꝛ extrinſecuſ deaurata legis dñi. Sup
hac ꝓpitiatoriū: quaſi ſuper cherubin ſedere vīt
dñs. Mittit diſcipulos ſuos vt in pullo aſine ſe
deant. Curis te ſecularibus ſolue: vt paleas ꝛ la-
tera egypti derelinquens moyſen ſequaris ī ere
mo: ꝛ terram ꝓmiſſionis introeaſ. Et nemo ſit q
ꝓhibeat nō mater non ſoror: nō germanus non
cognata: dñs te neceſſariam h3. Et ſi voluerint
īpedire: timeant flagella pharaonis. Jeſus īgreſ
ſus templū oīa que tēpli nō erant, ꝓiecit. deus.n.
zelotes eſt. Ergo vbi in pectore virginali ſecula
rium negociorū cura eſtuat ſtatim velū tēpli ſcī
ditur: ſponſus conſurgit iratus ꝛ dicit. Relinq̄t
vobis domus veſtra deſerta. Semper te cubi-
culi tui ſecreta cuſtodiunt: ſemper tecū ſponſus
laudat intrinſecus. Orans loquaris ad ſponſū3:
legenti tibi ille loquatur. Hortus concluſus: ſo-
ror mea fons ſignatus. Caue ne domū exeas: ꝛ
velis videre filiaſ regionis aliene: q̃ꝫuis frēs ha
beas patriarchas: ꝛ parente iſrael leteris. Nolo
te ſponſum q̃rere per plateas: nolo te circuire vi
cos ciuitatis: ſponſus in plateis non poteſt inue-
niri. Vulneraberis expoliaberis: ꝛ gemebunda
narrabis. Inuenerunt me vigiles ꝛc̃. zelotypus
eſt ſponſus: n̄ vult videri faciem tuã3. Foriſ va-
gentur virgines ſtulte: tu intrinſecus eſto cū ſpō
ſo tuo: que ſi tibi oſtiu3 clauſeris ꝛ ī occulto ora
ueris veniet ꝛ pulſabit ꝛ dicet tibi. Ecce ego ſto
ad oſtium ꝛc̃. Daniel in cenaculo ſuo in alto ma-
net: nec enim in humili manere poterat. Fene-
ſtras apertas ad hieruſalem habuit: ꝛ tu habeto
feneſtras apertas: ſed vnde lumen introeat: vñ
videas ciuitate3 dei. Ne apereas illas de quib9
dr̃. Mors intrauit per feneſtras. i. ſenſus exterio
res. Et paulo ſupra idem ait. Tu ſimplex loqua
ris ꝛ ignotos quoſꝙ̃ blãda nō deſpicis. S3 alit̃
impudici vident oculi: non norūt aīe pulchritu
dinem cōſiderare ſed corporū. Nec declinet au
ris tua in verba mala. Sepe enim indecens ali

quid loquens: tentant m̄etis arbitriū: ſi libenter
audias virgo qđ dr̃. Si ad ridicula queqꝫ ſolua
ris: quicqd dixeris laudant: quicquid negaris
negant: caſtam vocant ꝛ ſãctã. Ecce vere xp̃i an
cilla. Non vt illa horrida turpis ꝛ ruſticana ter
ribilis: que ꝛ oīo forſan maritū non habuit: quia
inuenire non potuit. Naturali ducimur malo: ꝛ
adulatoribus noſtris facile fauem9. Et q̃ꝫuis nos
reſpondeamus indignos ꝛ calidus rubor ora ꝑ
fundat: tamē ad laudē ſuam aīa letatur ītrinſec9
Precipue conuerſationē viroꝝ cū mulierib9 ꝛ
econtrario: periculoſam oñdit ſanſon leone for-
tior ſaxo durior: qui vnus ꝛ nudus mille eſt pſe
cutus armatos: in dallide molleſcit amplexib9.
Dauid ſm cor dñi electus: ꝛ qui venturꝫ xp̃3 ſan
cto ore ſepe cantauerat: berſabee captus nudita
te adulterio iūxit homicidiū. Salomon ꝑ que3
ſe cecinit ipſa ſapīa receſſit a dño: qui amator fu
it mulieꝝ. Et ne alius ſibi de ſanguinis ꝓpinqui
tate confideret in illicitum thamar ſororis amo
re fr̄ exarſit incendium.

## De cuſtodia habēda

a virgine circa ſenſus exteriores: Baſilius in li-
bro de vera integritate virginis ſic ait. Quoniã
diuinum ꝑfecto quidã ac p̃cipuū īmaculate aīe
inſigne virginitate eē conſtat. Maſculorūqꝫ ac
feminaꝝ corporꝫ ē adinuicē habitus: virgo que
nullã femine voluptatis labē ex corpore patit̃:
ꝛ oīa carnis vitia: omnēqꝫ perturbationē aīa ſe
ꝓrſus elimīat: puriſſimã ſe deo ſiſtere: quē ama
re ꝓfitetur tota cum intentione conatur. Volup-
tas cū vna generalis ſit: veluti fons qdã a carne
ꝓfluit: atqꝫ ī quinos ſenſus: veluti in qnqꝫ riuos
diſtributa per hos ad ſenſibilia ab intimis fluit:
hoꝝ quilibet per ꝓpriam feneſtrã fluentū ſuum
ſenſibili: qđ oſtenderit vehem̄eter īmittens: q̃c
quid ꝓpinquū fuerit: vi ſua ad ſe ꝑtrahit: carna
liqꝫ repletus limo ac torrentis inſtar: ecōtra rur
ſus ab exterioribus per eaſdē feneſtras ī carnis
eſtus celerius refluens aīam perturbationibus
ꝛ fluctibus quatit: ac in ꝓfunda demergit. Quo-
circa ſancta virgo ſenſuū feneſtris cuſtodem ad
moueat rōnem: eorūqꝫ ad exteriora ꝓgreſſum
nequaqꝫ eis tranſitu libero paſſim ꝑmittat. Nō
igitur oculoꝝ acies ad oīa paſſim inſpiciēda viſi
bilia pandenda eſt: ne oēm quoqꝫ figurarū atqꝫ
formaꝝ ſpem ſine diſcretionis exaīe hauriens:
ad eaꝝ poſtea turbetur imagines. Veꝝ apertis
ad ea que vite vſu neceſſario inſpicienda ſūt cō
poreis oculis: aīe oīo claudēt obtutu3: eoſqꝫ ad
veri intuitum luīs: ꝛ eiuſqꝫ ex illo inſinuatur pul
chritudinis: cōſiderationē etiam eatenus clau-
ſos peruigili aperiet ſtudio. Nec auditu3 quidē
temere ꝛ indiſcuſſe verbis oībus accōmodabit
Ceteꝝ ad ea que mala ſunt ꝛ noxia: ꝓſum velu
ti ad peſtē quãdã: putridi ac pernicioſi amniſ ob
turbabit. His vero que ſunt optima emanantqꝫ
virtutis puriſſimos latices tota īētiōe ſubijciet

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Guſtum quidem ſemꝑ ad ſuauia ⁊ dulcia inhi/
antem rõne frenabit ⁊ ad que ſunt neceſſario ſu
menda moderabitur. Tantum vero vt ſenſum
omnium pernicioſiſſime ⁊ ſeuiſſime blandũ:ſen
ſuſqꝫ r̃liquos vt ſua ad voluptatis illecebras pel
licientem:immaculatum ⁊ perturbationibus mi
nime puium:ſemper q̃maxima poterit cura ſer
uabit. Hic enim cũ toto ſit diffuſus corpore: per
oẽm illius ſuperficiem:nõ eam ſolum q̃ apparet
extrinſecus:verum ⁊ que altius recõdita eſt: ad
vitioſos contactus aduerſus aĩam ſeue dñatur.
Porro manibus ad vſus noxios p̃cipue nitens:
his veluti quibuſdam ſibi circũſeptis armis fer/
uentius per eiuſdem inſtrumentorum cõſenſuꝫ
oẽs qui inciderint caput:ne aſpectum quidẽ blã
da ſeductione ſua imunem abire patietur. Sed
cum dum ad horrendum tetraſqꝫ figuras atqꝫ
confundit:ad lenes autem ⁊ que venuſtiori facie
adiecta coloris gratia ad fallendum formate ſĩt
ꝓfundit: atqꝫ delinit:potentiam ſuam ſat̄ inſinu
at:⁊ ſic de alijs ſenſibus. Ante oĩa aduerſus gu/
ſtum v̾go tota intentione pugnabit:fõteſqꝫ volu
ptatum ventris ⁊ ĩpudicitie fomituꝫ inde manã
tium a p̃ncipio caſtitatis ſtudio ⁊ ardore ſicca/
bit:nedũ v̾ginitatem ſuare proponit:guſtui ſe ĩ/
moderate ꝓſtituens:caſtitatem ſuã alia fruende
voluptati deuicta:ſenſum dũ neſcit amittat. Vir
ginem.n.eẽ:⁊ virginis guſtum conuenit: nulliſqꝫ
gulam ſuauiter oblectanti illecebre peruiuꝫ. In
tegram ſe ⁊ in hac p̃te:atqꝫ inuiolabilem ſancta
virgo caute ſeruabit:corpuſqꝫ vt ſeruire queat a
nime:in his que ſũt neceſſaria victui moderabit̃
prudẽter ac reget. Nec tñ expedit ita corpus at
terere:vt inualidum ĩutileqꝫ reddatur. Nec ſo/
lum eſcarum quãtitas vbiqꝫ ꝓle metienda ẽ:ſed
⁊ qualitas ſapienter diſcernenda. Non ſoluꝫ.n.
legumina ſeminũqꝫ nõnulla:verum ⁊ olera ple/
raqꝫ ſũt:que monacho quietũ vite gubernaculũ
tenere cupient:vt ſe hꝫ cõmunis opinio: ꝓ noxi
is vitanda ſũt:quippe q̃ carnis receſſus intimos
pũgũt:⁊ prurit⁹ tintillationeſqꝫ excitãtia nõ mi/
n⁹ corpora noſtra perturbant ac ſecreta vi ſua ĩ/
quietant:que conſenſu omnium fugienda ſunt.
Quocirca nec ſaltib⁹ paſſim atqꝫ ĩdifferẽter vte
mur:ſicut fieri apud pleroſqꝫ comperimus: q ꝑ
ĩmoderatã continentiam pulmenta omnia repu
diantes:hos ſales cũ pane vice cõdimẽtoꝝ oĩuꝫ
ſumũt. Nõ ĩtelligũt hi:ꝙ ſales cũ ſint nã fecũdi:
ac per acrimonie vim pruriginẽ corpori excitẽt
plus ceteris ad libidinem coitũqꝫ ꝓuocare:⁊ ſic
de alijs cibis incitantib⁹ ad laſciuiam. Virgo igi
tur ſit virginis ⁊ auditus ⁊ viſus guſtus ⁊ tactus
⁊ odorat⁹:motuſqꝫ omnis. Et qꝛ blãdimẽtũ cu
pidinee voluptatis ẽ femina:⁊ maſculi laſciuiori
bus oculis ad ſe inſpiciendũ illecebrã naturalit̃
ſuggerat:ac liquidiori voce ad oblectamentum
auris organi inſtar effecta eſt: membrorũqꝫ inſi
nuata mollitie:ac toto prorſus corporis habitu
⁊ motu ad ſeductionẽ formata voluptatis. Non
modo.n.loquẽs mulier ⁊ ĩtuẽs: veꝝ ſedẽs quo/
qꝫ ⁊ ĩcedens:ob inſitã ſibi naturaliter aduerſus
maſculũ vim:hũc ad ſe emin⁹ trahit:vt magnes
lapis ferꝝ. Et iccirco ſũmopere cõtendat virgo
neceſſe eſt:ne vllis voluptatib⁹ laqueis irretiat.
Imiteturqꝫ vocẽ obtutũqꝫ virilẽ:ĩceſſuqꝫ ⁊ oĩ
ꝓrſus habitu ac motu corporis voluptatis ille/
cebrã vitet. Nec ſe patiatur ſancta virgo ſubijci
carnalib⁹ curis:nec in ſuã aliorũqꝫ ꝑniciẽ carna/
lia ornamenta ꝯquirat:ſed ad firmã ſe atqꝫ con
ſtantẽ virtutis ſpeciẽ pudicis geſtib⁹ viriliqꝫ ru
bore ſubrigat. Et ita in ſe femineã voluptatem
perimet. Item reuereat̃ oĩs mulier: ſꝫ virgo ĩ p̃
mis angelos:etiam cũ domi ſola nullis viris ar
bitris ſedet: ⁊ cũ corp⁹ neceſſario curandũ erit:
⁊ capitis victas:⁊ ſigillatim cetera cõſtringẽs: id
opus celeriter exigat:⁊ quãtũ fieri põt contegat
membra:nõ ſolũ ſuos angelorũqꝫ oculos vereẽs:
veꝝ ſe ⁊ in ſue exercitationis domicilio ad vere
cundiã ſtudioſe ſẽp exercẽs. Q ſi neqꝫ cũ ſola ẽ
nudari ſine rõne permittit̃:quãto minus fratri/
bus in xp̃o p̃ñtibus. Et pudore igit̃ ⁊ tunica ſe/
ipſam pudice ac verecũde componet:nec ſolum
nihil mẽbrorum:que operã ſũt nudari vlla rõe
permittet:verum ſũma ⁊ ſecura obſuation ecir/
cũteget:vt non ſolum ipſa illeſa atqꝫ illibata per
maneat:ſed ⁊ qui intuentur nullam ex eius aſpe
ctu leſionis materiam capiant. Videntes enim
filij dei filias hominũ:ꝙ eẽnt pulchre: deuoluti
ſunt ad eas:geñ.6.ſufficit quippe vel modice nu
data pulchritudo:dei quoqꝫ filios ad volupta/
tem emolire. hec baſilius. Q ſatiſfaciendo cui
cunqꝫ ſenſui applicando ipſum ⁊ delectando ſen
ſibili obiecto ſuo:vt in videndo pulchra que ap
petit oculus tactus in tangendo ſibi grata:nõ ꝑ
hoc extinguitur concupiſcentia talis ſenſus: ſed
augetur:ad qδ declarandum inducit fictionem
poeticam.ſ.de hydra ſerpẽte ſeuo in limo morã
te:que cum plura haberet:vno ſucciſo tria orie/
bant̃ ſed igne ſuccenſa occiſa eſt. Hanc dicit ſi/
gnificare voluptatem in carnis limoſa materia/
liqꝫ natura capita plura ſenſus.plures:quibus ꝑ
ficitur:⁊ queritur voluptas.i.delectatio ſenſual̃.
Abſcinditur caput:cum ſatis ſit concupiſcentie
alicuius ſenſus ipſum plene d̾lectando. Sed ex
hoc non moritur:⁊ deficit concupiſcentia:ſꝫ plu
ra capita oriuntur.i.magis accẽditur voluptas:
quãto magis eam quis ſequitur. Tunc autẽ ex
toto occiditur ſeu extinguitur:quando igne con
tinentie coartatur:dum quis abſtinet ab illicito
vſu cuiuſcũqꝫ ſenſus.baſilius. Magna ergo cu/
ſtodia ſenſuum ſeruanda eſt. Dicat ergo perfectũ
virgo illud abachuch. Super cuſtodiam meaꝫ
ſtabo.z.c.⁊ illud p̃s.pſalmo.38. Dixi cuſtodiam
vias meas. Mors.n.introiuit per feneſtras nr̃as
ſ.ſenſuum exteriorum:ingreſſa eſt per feneſtras
noſtras ſcilicet interiorum ſenſuum.ſ.imagina/
tiõe memoratiue ⁊ hi⁹ mors.ſ.peccati figura ex/
tat in hiſboſeth filij ſaul:qui cum poſuiſſet ad

cuſtodiendaꝫ portam domus mulierem:qꝛ dor
mitioni ſe dedit ⁊ non cuſtodie:ꝑncipes latronū
rechab ⁊ banaa latenter domū ingreſſi percuſ/
ferunt in iguine dormientē ſeu iacētē hiſboſeth:
⁊ occidētes ablatis ſpicis frumentoꝝ abierūt.2.
Re.5.ad ſignandum ꝙ cū conſideratio ſeu circū
ſpectio:quā quilibet adhibere d̄bet ad cuſtodi
endam portā ſenſuū domus aīe: dormitat ⁊ nō
vigilat ad cuſtodiendū:ne fur vel inimicus igre
diatur:demones latenter in aīam intrant:⁊ iacē
tem appetitum rōnalem in terrenis per deſide/
ria carnalia occidunt ablatis ſpicis virtutuꝫ de
aīa.Et ideo dixit xp̄s.Vigilate ne intretiſ in ten
tationē.luc.22.c.¶Cuſtodiam quoqꝫ debet vir
go habere interiorūꝫ ſenſuūꝫ ſm̄ illud prouerb.4.
Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum:qm̄ ex ip̄o vi
ta ꝓcedit.vnde baſilius in ſupradicto li. Nulla
ex parte virginē mechari conuenit:non lingua:
nō aure:nō oculo nō tactu :non vllo deniqꝫ ſen
ſu:multo minus aīo:ſed aīam ipſam:vt ſponſaꝫ
nitidam ac puriſſimā ſponſi amplexibus iunge
re.Diligenter enim oīa ille ſponſus rimatur ⁊ di
ſcutit:etiā queītimis animi receſſibus latēt. Añ
oīa igitur oꝫ virginem cogitationes ſuas puras ī
uiolataſqꝫ ſeruare.Aīa quippe perdurante incor
rupta:corpus quoqꝫ impolutū īmaculatūqꝫ ſer
uatur. Porro cū ſepiſſimis cogitationibus con
taminetur aīa:ꝗtūlibet corpus permanere īcor
ruptum videatur:non tamē mūda cenſetur eius
integritas:cum ſordibus cogitationū inquinata
vitietur. Neqꝫ enim eſt aliud imaginaria ꝑtrāſi
enſqꝫ cogitatio in aīa:ꝗꝫ pictura cogitationis co
loribus ⁊ magnitudinibus figuriſqꝫ ſuis :quas ī
ea mens pinxerit ſcripta .Et cum aīa cogitatio/
nes per corpus exequatur:alias in operis perdu
cit effectum.Quas vero necduꝫ opere īpleuerit
in ſe ſculptas reſeruat:eaſqꝫ ⁊ ſi n̄ actu corporeo
intra ſe:tñ nutu voluntatis exequitur.Sicut enī
corporis officiū eſt corporaliter aliquid exequi
ita opus aīe eſt cogitationibus:vt vult placitas
ſibi ⁊ gratas imagines fingere.Uerum qꝛ ſicut
is:qui notas didicit:ſi illas ſcribere omittat:ſen
ſim aīo labuntur:ita vt ꝓceſſu tp̄is nullius iam
notandi figuram aut locum aut nomen reuoca/
re in aīum q̄at:ita ⁊ q̄ iniqua cogitauerit:ſi eiuſ/
modi neglectis cogitationibuſ ad vtiliores aīū
aīum tranſferat:ſeqꝫ ad eas exercet:ꝓcedente tē
pore ꝑores illas a memoria eliminans:ex aīe ta
bula perpetu oblitione delebit:quippe memo/
ria nihil eſt aliud:ꝗꝫ figure exp̄ſſa cogitationum
in aīa:veluti pictoris arte collocata.Et vt noxiaſ
turpeſqꝫ cogitationes vitet illud implendo. iſai.
i.c.Auferte malum cogitationū vr̄arum ab ocu
lis meis:vt ſaltem in eis moram non trahat:⁊ ſi
menti ſuggerantur:oꝫ conſiderare p̄ñtiam ſpon
ſi ſui ⁊ angeli ⁊ ſanctorum.vnde baſilius ibidē.
¶Uirgo ſeipſam ꝑmum conſciam ſuam reuere
bitur:⁊ ſi valde ſit ſola:deinde aſtantem ſibi cu
ſtodem angelum.Angeli enim coruꝫ in celis ſp
vident faciem patris ⁊c̄. Ait ſaluator.mat.18.c.
Nec enim conuenit vt angeli:cui credita eſt cu
ra faciem aſpernet homo.Atqꝫ in ꝑmis virgo:ꝙ
hunc ipſum caſtitatis ſue:veluti paranymphum
cuſtodēqꝫ habet.Pre cunctis autem ipſum ſpon
ſum ſuum reuerebitur:ſibi vbiqꝫ aſſiſtentem:ip
ſiuſqꝫ patrē ⁊ ſp̄m ſanctum.Quid per ſingula ꝑ/
gam:ipſas angelorum infinitas multitudines ⁊
vna ſanctoꝝ p̄rum beatiſſimos ſpūs:qui ⁊ ſi ocu
lis carnis minime conſpicui ſunt:incorporeis tñ
obtutibus ad cognitionem complectūtur oīa ⁊
cōprehendūt?Ex hac ratione ſi latere virgo plu
res querit:longe hos magis:qui tot ac tales ſunt
ꝗꝫ homines merito reuereri delebit. Et quia
multitudines paueſcit obtutum:hos vitare fas
non eſt:qui ſūt infinita m̄titudo.Uirgo ait apo
ſtolus.i.cor.7.⁊ que īnupta eſt cogitat.i.cogitare
debet:que dñi ſunt:q̄ō placeat deo cogitat vt
ſit ſancta ⁊ pura corpore ⁊ ſpū.Curas enim ſecu
lares ⁊ rerum corruptibilium cogitationes con
iugatis linquens ſibi immortalium ⁊ incorrup/
tibilium:que ſponſi ſui familiares atqꝫ ꝓpinque
ſunt ſeruauit curas.Quid eſt aūt virginem place
re deo:niſi naturalem ſp̄em ſuam virtutibus ex/
ercitij ſpūalis coruſcam ſemper oſtendere:vt eaꝫ
iugiter integram intemeratāqꝫ ſeruare velle.pla
cere deo nihil aliud eſt:ꝗꝫ laudabilem ſeipſam ac
beatam:⁊ ei ſimilem ꝓ viribus facere.Ceterum
ſi ſolicita eſt:q̄ō placeat virgo dño:ſcire profe
cto oꝫ:qꝛ ipſe ſponſus in nullo:lꝫ obnoxius:q̄ō
ipſe ſponſe ſue placeat curat.ſ.ꝓuidēdo ei copio
ſe de oībus. Nā ſi ſponſa mortalis viri ſperat
ſe gubernari:⁊ ꝓuideri ab eo:ꝗto magis q̄ deo
gubernationem ſui tota fide commiſit:⁊ cuꝫ illo
viuere ſemper eligit:copioſiſſima ſue circa illuꝫ
cure premia:ipſo ſibi per omnia perſpiciente ſu/
ſcipiet. Habet enim fidei pignus ex ipſius prece
dente prouidentia.Si enī cū necdū ſibi placere
quereret:tantam erga illam oſtendit charitatem
vt ſe pro ea ꝓmpte ac libenter offerret.ſ.in cruce
vt eā ſuo ſanguine ſanctificaret:multomagis pla
cere ſibi cupientis curam habiturus eſt:⁊ cū his
que ſibi ad veram ⁊ eternam vitam conferunt:
mortalis quoqꝫ vite ſtipendium illi ꝓuiſurus.
Non ante vltra vrgentem neceſſitatem indul/
gebit delitijs domini ſponſa:nec ſuꝑflua minuſqꝫ
neceſſaria requiret. Neqꝫ enim illi dare conue/
nit:que ſponſe charitatem intercipiant ad volup
tates corporis ſe conuertentis:vel ſibi ea accipe
re expedit:que ab amore intimo auocent. Neqꝫ
vero nunqꝫ per neceſſariorum indigentiam :eti
am ſi experiende dilectionis cauſa eius conteri
ſinatur media puſillaminis effecta murmurabit.
Sed omnia credens omnia ſperanſ omnia ſuſti
nens:ei quam diligit tota animi intentione con
iuncta ⁊ veriſſima charitate affixa:etiam dum ī
exteriori homine agit:emortuo iam ⁊ quodam/
modo ſenſuum officio priuato iugiter abſqꝫ di/
ſtractione vlla ipſius paſcit immortali alimonia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pulchritudineqꝫ ſatiabit. Fit ſepe vt qui immortalem ardet ⁊ incorruptibilē ſpeciem: nō modo pecunias oēmqꝫ ſubſtātiā amoris gratia large ꝓfunda: ſed cibum ēt ⁊ ſomnum ⁊ veſtē ⁊ habitū ⁊ omnē extimationem corporis: deniqꝫ ⁊ corporis vitam: dū ſolo potiatur amore contemnat. Parietes item ⁊ domos ⁊ oēs medios obices audacter aſcendat: contra ipſos deniqꝫ conſtrictos gladios feratur inſaniens: ita ferme ⁊ qui deum diligit veraciter: ac ei ſollicite placere q̄rit: nō ſolum pecunias ⁊ opes: vt mandatis illius obtēperet: ⁊ eo quem amat affatim fruatur: negligere ⁊ aſpernari debet: verum ⁊ cibum neceſſariū ⁊ ſomnium ⁊ exteriorem habitum: ſeculiqꝫ fedā ꝓfecto ⁊ inaniſſimam gl'iam corpus ipm̄ deniqꝫ corporiſqꝫ vitam: vt celeſti amore ſaginetur: tota intentione contemnere. Parietes preterea carnalis ꝓpinquitatis ⁊ parentū domos: oēmqꝫ medium mundum tranſilire: ⁊ ad martyrij gladios ſi ſepe p̄ſtat occaſio ꝓniciter currere: ac vt amore eterno frui poſſit ignobiliorem habitū ſumē: plurimaqꝫ mundi improperia cū voluptate tolerare iuſtiſſime optabit: vt diuina ſi ita dici liceat inſania ſapienter inſaniens: eo qui vere ⁊ ſumme amabilis ē: per affect⁹ ſui deſiderio fruāt: huiuſmodi ꝓfecto amatorem ad ſe de terrenis perturbationibus euocans: hic ipſe q tam ſuauiť ſalubriterqꝫ diligitur: ait ad abraam. Exi de terra tua ⁊ de cognatione tua ⁊ de domo patris tui ⁊c. gen̄. 12. c.

## Et nota ſubtilē diaboli

deceptionem ad capiendum virginē vel alias ꝑſonas ſp̄uales: in q̄ð frequenter ruitur. Plerūqꝫ ait baſilius vbi ſupra: minus cauti: dū libenter muſicum audiunt ſenſum: eo adducūtur: vt non iam muſicum: ſed viſibile īſtrumentū diligant: per q̄ð perita muſici modulatione fruāt: atqꝫ iō neceſſaria ſūma exactiſſimaqꝫ diligentia obſeruandus ē virgini auditus ⁊ viſus: ne clam forte ⁊ ipſi ſubrepatur: vt ꝓloquente aīa īſtrumentū: per q̄ð illa loqtur: diligat. Eſt. n. vehemēť aſtrictus is: qui affectū boni in nobis ſummo ſtudio maligne deprauare cōatur. Ita deniqꝫ ⁊ a q̄buſdam cum v̄ba de v̄tute fidei audirent: atqꝫ hui⁹modi loquenti aīe afficerentur: ex auditu iugi ⁊ aſpectu clam ſurreptum eſt: vt aīo imp̄merent liniamenta corporea ⁊ voce auditum laſciuie mīſcerent: nec iam aīam: quā p̄us diligendo ex ore hoīs pendebant: ſed corpus ipſum honorū aīe miſtrum peruerſe nimis atqꝫ improbe amarent. Et ita qui charitatis plenitudinem ſequūť: eos falſo dilectionis noīe vel ad voluptates corporis: vitamqꝫ cunctis execrabilem diabolus deijcit: hec ille. Hec quotidie multos illaqueant: nō ſub ſpē ſp̄ualis amoris in ſenſualem v̄tētes: ⁊ deo in carnalem vſqꝫ ad opa ꝓuenerūt illicita. Et iō multa affectio mulierum ad viros: ⁊ econuerſo ēt ſp̄ualiū: ⁊ multo magis frequenſ locutio vł aſpect⁹: ⁊ per maxime dōeſtica conuerſatio: vt diaboli viſcus vitanda ſunt: tū ꝓpter ꝑiculum: quia ſm̄ hiero. femina ꝯſciam ſecū h̄itantē ſemper exurit: di. 34. c. i. Ad ignē cōcupiſcentie accēdit ⁊ trahit: ſicut ſi ſtupa: ſi ignem odorata fuerit ꝓtinus inflāmata ſuccēditur: nec opus eſt alio adminiculo: tum propter ſcandalum male. ſ. ſuſpicionis ⁊ infamie: que inde oritur: ⁊ ſi nullum malum perpetretur. tum propter exemplum: ne infirmi mente exemplo perfectorum hoc facientium: ſimilia agentes in ruinam incidant diaboli. O quot ⁊ q̄ꝫte ruine quotidie audiuntur eorum: qui tenent ſtatum ſp̄ualem: propter inordinatā affectionem: ⁊ incautam conuerſationem: ⁊ indiſcretam viſitationem. Idem baſilius vt ſupra. Uera virgo ab omni quidem contactu maſculi mundam iugi ſe obſeruatione cuſtodiet. Sed ⁊ cum feminis dormiens: ſemper ſecum cōmorabitur fixūqꝫ animum habebit in celo: ⁊ illū a corpore totum penitus remouens: ipſa quoqꝫ cum apoſtolo dicet. Scio me ipſa ſiue in corpore neſcio ſiū extra corpuſ neſcio: deus ſcit: q̄ʒ rapta ſū in paradiſum: ⁊ audiui arcana verba. Uigilantiſſimum. n. eius in ſe amorē ſuperne de celis intuens ſponſus: quaſi lampade accenſa ipſā merito rapiet vſqꝫ ad tertiū celum: ⁊ in paradiſum dei: ⁊ ea ſibi loquetur verba: que in corpore viuentibus dicūtur eſſe ineffabilia: ſed illi plane que ad id ꝓfecit effabilia īmiſcendo fient. hec ille. A ſuperbia ſūmope oʒ virginem cauere: vt nō ꝓpter virginitatem ſe alijs etiā coniugatis preferat: q̄ʒ q̄uis ſtatus virginalis melior ſit q̄ʒ coniugalis: tū ⁊ in ſtatu viduali poteſt q̄s perfectior eſſe virgine ⁊ maioris meriti. ſ. q̄ʒ maioris meriti charitate exiſtit. Nec etiam ipſam conſeruationē virginitatis ſuis meritis aſcribat: ſed gr̄e dei. decet inquit ambro. vt quāto caſtior virgo: tanto humilior. Nam ⁊ ad humiliandum ſuperbiam talium permittit dn̄s hi⁹ tentationibus turpib⁹ vexari. vel ad conſeruandum eas in humilitate: vt dr̄ a quibuſdam de paulo apoſtolo. Et aliquando etiam permittit ruere in conſenſum vel vſqꝫ ad opus exterius: vt patet in vitis patrum ī multis exemplis. Et propter hoc etiam aliquādo ꝑmittit virgines ab alijs violari ad eas humiliandū: vt dicit augu. in p̄mo de ci. dei: q̄ tamen ſi aīo ſunt renitentes: nō perdunt aureolam virginitatis: q̄uis inter virgines non debeant conſecrari: vt dictū eſt ſupra. 32. q. 5. per totū. Sed nec etiā querant de virginitate ⁊ continentia ſenſuū glorientur: ſed de dei gloria: que eſt oleum in lāpade. Ualet quoqꝫ plurimum ad arripiendū talē ſtatum ⁊ conſeruandū: conſideratio miſeriarū q̄ reperiuntur in nuptijs: ait idem baſilius. vbi ſupra nāqꝫ mortali cōnubio iuncta eſt aut ſuam ipſi⁹ curam viri quoqꝫ alteram adiecta geminam in vnā aīe ſolicitudinē neceſſario ſuſtinet. nam non ſolū ſui: ſed viri ſolicitudinem habet: vbi vero filios parturire ceperit vltra tedia conceptus in vtero

⁊ dolores partus: per vnũquẽq; filiorum aïo ſci
ditur: ⁊ pñtib⁹ triſtib⁹ naſcituri cura ſp adijcitur.
At ſi bonum virum blandũq; nacta fuerit perpe
tuo: ne moriatur metu viduitatis icõmoda cru/
ciatuſq; iam ſuſtinet: duram quãdam ⁊ imitem
curam: ⁊ preſenti illo ⁊ abſente propter inſpera/
tos caſus: animo indeſinenter excipiens. Si ve/
ro dura ⁊ immiti nupta fuerit: tota quoq; vita il
lius cruciatus eſt: ⁊ cum pudicitie ratione queat
neutrum eligere. i. nec viri mortẽ propter vidui
tatis anguſtias: nec vitam ⁊ moleſtiam incõmo/
dumq; conuictus ancipiti atq; ineuitabili malo
accerrimiſq; doloribus ſemper atteritur. Inde
vbi filios edidit: aut ad bonam illi frugem eua/
ſerunt: ⁊ maiores ex illorum abſentia dolores
iugiter tolerat: q̃ parturiens tulerat: aut malos
euaſiſſe conſiderat: ⁊ magis ex ea procreatione
liberorum: q̃ ſi permanſiſſet ſterilis ſuſtinet op
probrium. Sepe anteq̃ predicta experiatur in/
commoda: vna ⁊ ſponſa ⁊ vidua efficitur: ac ſine
liberis in viduitatẽ dilapſa: nec vxor iã nec ergo
mater eſt: ſic omnibus que putantur leta coniu/
gia miſſis: ſimul breuiſſimo voluptatis ſenſu in/
recuperabilem virginitatis perdidit florem cõ
iugij: que tantum experta eſt: q̃tum illi ſatis eſſz
ad dignoſcenda viduitatis incõmoda. Ac ſi re/
licta vidua enutriat filios eius: quez ex viri mor
te pceperat meroris iuge, illos monumentuz cer
nit. Et ſemper in lachrymis ſemper in gemitu ſẽ
per in ſolicitudine educandorum degens: nulluz
preteriti mali ſolatium inuenit. Primum ⁊ pro/
pinquis ⁊ famulis ⁊ filiorum curatoribus: ipſiſq;
poſtremo etiam filijs: vbi virilitatis annos atti/
gerent: cunctiſq; omnino ſe vexare volẽtibus ad
predaz miſerabiliter expoſita doloroſi luctuſq;
tragediam vitam ſuam omnium ingerit oculis.
Et quid plura proſequi neceſſe eſt: dominũ ſibi
cum dote infelix mulier coemens virum: ancilla
pro libera efficitur: breuiſſimeq; liberalitatis
gratia naturali libertate ſe priuans ianuam ſibi
ineffabilium dolorum perpetuiq; meroris per
huiuſmodi connubiuz aperit. At vero prudens
virgo iugum huiuſmodi ſeruitutis abijciens: ⁊
tota intentione ad dominũ currens: effugit qui/
dez partus ãguſtias. Effugit mortalis viri miſe/
rum iugũ: ſimulq; incõmoda omnia: que ex nup
tijs prouenire monſtrauimus. Effugit peccato/
rum omnigenuz inextricabiles nexus: ⁊ retia vi
te preſẽtis euaſit. Effugit ante omnis carnalis cõ
mercij corruptelam: ⁊ integra tota ⁊ illibata aïa
⁊ corpore ſãcta eterno regi ſe leta deſpondit. hec
oïa baſilius.

## De inſtructione virgi

nis lapſe: vt intelligens malum ſuũ vehementer
doleat. Hiero. ad ſuſannam virginem ſacrã. ſed
lapſam. Bona commemorem: que perdidiſti: an
mala defleam: que admiſiſti? Eras ergo in para/
diſo dei: vtiq; inter flores eccleſie. Eras ſponſa
xpi: eras templum dei: eras habitaculum ſpiri⁹
ſancti: ⁊ quotiens dico eras: totiens opus eſt: vt
ingemiſcas: qz non es qđ fuiſti. Incedebas in ec
cleſia tanq̃ columba: de qua ſcriptũ eſt. Penne
columbe deargentate ⁊ cetera. Splendebas. ſ.
vt argentum: fulgebas vt aurum: eras tanq̃ ſtel
la in manu domini. Que ẽ iſta ſubita, conuerſio
que eſt iſta repentina mutatio. De virgine dei fa
cta es corruptio ſathane de ſponſa xpi ſcortum
execrabile: de templo dei phanum imũdicie: de
habitaculo ſpiritus ſancti tuguriuz diaboli: que
incedebas cum fiducia: vt columba: nunc lates i
tenebris: vt veſpertilio. Que fulgebas vt auruz
propter virginitatis decorem: nunc vilior facta
es luto platearum: que fueras radians in manu
domini: nunc velut de alto celo ruens: extinctuz
conuerſa es in carbonem. Ve tibi miſera: ⁊ iterũ
ve: que tanta bona pariter propter parui tempo
ris luxuriaz perdidiſti. Aperi oculos ſi potes: eri
ge frontem ſi audes: ⁊ aliquem ſanctorũ intuere
Nõne faciem tuam conſcientia commiſſi tãq̃
plumbum inclinat. Quid facies coram maria ⁊
thecla ⁊ agnete ⁊ immaculata toro puritatis?
Quid iterum facies coram angelis ſanctis? Nõ
ne ſplendore ⁊ claritate imaculatorum: quaſi ful
minibus percuſſa cõbureris: ſed dictura es forſi
tan. Non potui ſuſtinere: qz carnem fragilez cir
cunferebam. Reſpondebit tibi beata thecla cuz
innumerabilibus ſotijs ſuis: ⁊ nos eadem carne
amicte eramus: nec tamen plenum caſtitatis no
ſtre propoſitum aut fragilitas carnis potuit im/
mutare: aut ſeuitia paganorum per varia tormẽ
ta deijcere. Reuera non poteſt caro corrumpi:
niſi mẽs fuerit ante corrupta. Remanebit ergo
in crimine anima: que carnem precedit in crimi
ne. Penitudo ergo neceſſaria eſt. Sed quãta pu
tes: ⁊ quãliſ neceſſaria eſt pñia? que aut equet cri
men: aut certe excedat. In primis omnis cura
huius vite tibi intermittenda eſt: ⁊ quaſi mortu
am te exiſtimães: quomodo poſſis reuiuiſcere co
gita. Deinde lugubris veſtis tibi accipienda: ⁊
mens ⁊ membra ſingula digna caſtigatione pu/
nienda. Amputentur crines: defluant oculi la/
chrymis palleſcat facies: totum corpus in cura ⁊
ieiunijs maceretur: ſi non in fidelitate grauaret:
ſenſus humanus quẽuis ⁊ qualẽuis cruciatũ ad
preſens libenter ſufferret: dummodo illas penaſ
ignis eterni non incurreret. hec omnia Hiero.
Et nota q̃ dicit Hiero. carnem non poſſe corrũ
pi: niſi anima fuerit ante corrupta: intelligitur de
corruptione vitioſa ⁊ cum peccato. Nam cor/
rumpi poteſt virgo per violentiam ſibi omnino
illatam: ⁊ tamen non corrumpitur anima: qz. ſ.
non peccat ſi omnino renitatur.

De ſtatu viduarum: ⁊ multis que pertinent
ad eas. Capi. 3.

Viduam eius bene/
dicens benedicam: pauperes eius ſat/

rabo panibus:pſ.13z.Loquitur hic dñs per ꝓ/
phetam de eccl̃ia:que ē mater ⁊ v̄go ⁊ vidua di
citur:ſed diuerſis reſpectibus.Dicit̃.n.mat̃ rõne
fecunditatis:quia quotidie generat filios xp̄o p̄
gr̃am baptiſmalem vel penitētialem.Dicit̃ v̄go
rõne integꝛitatis fidei ⁊ ſancte ꝯuerſatõnis.quia
in nullo vitio coꝛꝛupta.Dicit̃ vidua ratione ab/
ſentabilitatis ſui ſponſi:qꝛ xp̄o ſponſo ſuo moꝛ/
tuo in cruce:demum ⁊ ſi reſurrexit:tamen ī celū
aſcendit:⁊ permanet p̄ſītia cõpoꝛali.Eſt ergo vi
dua eius.ſ.domini vel vidua ſyon.i.reſpectu ec/
cleſie triumphantis que aperte ſpeculatur:⁊ fruit̃
p̄ſītia chꝛiſti.Interpꝛetatur enim ſyon ſpecula/
tio.hec vidua afflicta eſt multiplici tribulatione
vt vidue:non ſolum qꝛ caret pꝛeſentia ſponſi:ſꝫ
etiam qꝛ draco infertilis inſidiatur filio eius.i.
cuilibet fideli:vt deuoꝛet eum.Sed hanc bene
dicens in pꝛeſenti per gratiam dominus benedi
cit:⁊ in futurum per gloꝛiam.Nam vt dicit̃ figu
raliter apocalyp.1z.Date ſūt mulieri illi.ſ.eccle/
ſie due ale:quibus demum volare poſſit ad de/
ſertum ideſt celum.¶Vna eſt obſeruatio dena/
rij.ſ.decem pꝛeceptoꝛum.¶Secunda eſt exer
citatio ſenarij ideſt ſex operuꝫ miſericoꝛdie:quo
ad viuentes.Dicit̃ enim mat.19.Si vis ad vitaꝫ
ingredi.ſerua mandata:⁊ mat.z5.dicitur his qui
opera miſericoꝛdie fecerūt.Venite benedicti pa.
m.po.re.Ex denario autem multiplicato per ſe/
narium reſultat ſexagenarius:Fructus autem ſe
xagenarius ē qui colligitur ex ſtatu viduali ſecū
dum parabolam ſeminis in bonam terram iac/
tati.mat.13.Pauperes quoqꝫ filij eius ſpu:paupe
res ſaturantur ⁊ panibus ſacramentoꝛum ⁊ ſpua
lium conſolationum.Sed ⁊ de qualibet vidua
poteſt hoc exponi.Viduam eius ⁊ cetera.Vbi
pꝛimo ſciendum:ꝙ quāuis ſecundum' commu/
nem vſum loquendi mulier:que piuatur legiti/
mo marito per moꝛtem eius:vt di.34.vidua di
catur:tamen pꝛout diſtinguitur contra ſtatuꝫ cõ
iugalem ⁊ virginalem largius ſumitur:videlicꝫ
pꝛo omni eo viro vel muliere:qui vel que ami/
ſit virginitatem:ſiue per coniugium conſuma/
tum:ſiue per quācunqꝫ illicitā coꝛruptelam:nec
tamen in ſtatu coniugij eſt.Et vt talis ſalutetur
perſona opoꝛtet.¶Vt a domino poſſideatur:ibi
viduam eius.¶Et talis a deo conſolatur:ibi be
nedicens benedicam.¶Et in pꝛole recreatur:
ibi pauperes ⁊c̃.

## Quantum ad pꝛimum

cum dicit.Viduā eius.i.domini vel ſyon:nõtur
ꝙ talis poſſideatur a dño.Sciendum ꝙ eſt tri/
plex genus viduarum.Quedam enim ſunt dia/
boli:quedam mundi:quedam domini.Perſone
vidue diaboli ſunt:que nec in coniugio ſunt ⁊ ta
men luxurijs vacāt:d̄ q̄bus ait apoſtolus.i.thi.5
Adoleſcentioꝛes viduas deuita.Cum enim lu/
xuriate fuerint:in xp̄o nubere volunt:habentes
damnationem:qꝛ pꝛimam fideꝫ irritam fecerūt.

ſimul autem ⁊ ocioſe diſcunt circuire domos:nõ
ſolum ocioſe:ſed verboſe ⁊ curioſe loquentes q̄
non opoꝛtet.Iamqꝫ conuerſe ſunt retro poſt ſa/
thanam.He ſolent frequentare eccleſias ⁊ perſo
nas religioſas ſub ſpecie ſanctitatis:⁊ multos il/
laqueant:⁊ ideo cauendum ab illarum familia
ritate.¶Vidue autem mundi ſunt:que quideꝫ
honeſte viuunt:intendunt tamen nubere tempo
re ſuo:vel etiam ſi non intendunt nubere:non fa
ciunt pꝛopter deum:ſed pꝛopter munduꝫ:vt vi
tent moleſtias coniugij:vel ſint domine rerum
ſuarum ⁊ huiuſmodi.He ſolent multum vaca/
re tempoꝛalibus conſeruandis ⁊ augendis:⁊ ex/
ercitijs ſpiritualibus parum inſiſtunt:ſed tempo
ralibus.Et plures etiam dotes ſuas tradunt ad
vſuram diuerſis modis:vel apud conſanguine/
os viroꝛum cum certa mercede dimittentes:vl̃
mercatoꝛibus ſub nomine depoſiti dantes ⁊c̃.
Et aliquando pꝛo dotibus ſuis accipiūt plus de
bito.His ⁊ ſi caſte viuant:nõ debetur fructus ſe
xageſimus:⁊ delitijs aliquando vacant.Sed vt
dicit apoſtolus.i.thi.5.Vidua in delitijs viuens
moꝛtua eſt.¶Vidua vero domini eſt:que per
gratiam poſſidetur a domino:⁊ pꝛopter domi/
num pꝛoponit firmiter abſtinere a coniugio:⁊
ab omni actu venereo deinceps:⁊ ſi in pꝛeteritū
experta ſit coniugio vel alio modo.Hāc deſcri
bens apoſtolus ibidem ait.Que vere vidua eſt
⁊ deſolata:ſperet in domino:⁊ inſtet oꝛationib'
die ac nocte.Et paulopoſt de viduis huiuſmo/
di dicit.Pꝛecipue vt irrepꝛehēſibiles ſint:debēt
viuere vt perſone religioſe ad exemplum anne
pꝛophetiſſe vidue:que non diſcedebat de tem/
plo deo ſeruiens die ac nocte:⁊ perſeuerando vſ
qꝫ ad decrepitam etatem:vno pꝛius tantum cõ
tenta marito.luc.z.⁊.85.di.dicitur.Vidue que ſti
pendio eccleſie ſuſtentantur:tam aſſidue in dei
opere eſſe debent:vt meritis ⁊ oꝛationibus ſuis
eccleſia adiuuetur.Et di.ea.dicitur ad reatū ep̄i
vel p̄ſbr̄i pertinet:qui parochie p̄eſt:ſi vite p̄ſītis
cā adoleſcentioꝛes vidue clericoꝛū familiaritati
bus ſubijciantur.Talis vidua a deo conſolatur:
qꝛ benedicitur hec a deo per gratiam ⁊ a mūdo
per bonam famam ⁊ tentationū victoꝛiam ple/
nam.Exemplum in iudith vidua:de qua dicit̃
iudith.8.que ſecretum habitaculū ſibi fecerat in
domo ſua:vbi moꝛabatur cum puellis ſuis clau
ſa:cum tamen eēt diues:poꝛtabat cilicium conti
nētie:ieiunabat:timebat deū valde:nec erat qui
de ea loq̄retur malū:ita caute viuebat.Hec iter/
fecit holofernē deſignanteꝫ diabolū:⁊ liberauit
populū ſuū.Vn̄ benedicta fuit ab oı̄bus:⁊ mira/
biliter laudata:vt pꝫ iudith vltı̄o:⁊ demū ī gl̃a
benedicta.Viduas adiuuari mādat diuina auc/
toꝛitas ⁊ canõica.Vn̄ gelaſius papa.Licet oı̄bus
de nobis ſperantib' nō debeamus:ī q̄tū poſſum'
negare nos:plus tamē in viduarum cās impen/
ſius duximus exequendas:quas tueri a nobis
vel ab omnibus diuina manifeſtat aſſertio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

diſtinc.87. Et iſai. dicitur capitu. primo. Queri
te iudiciuz: ſubuenite oppreſſo: iudicate pupillo
defendite viduam ⁊ cetera. Unde ⁊ chriſtus con
ſolatus eſt viduam flentē vnicū ſuum defūctuz
cum reſuſcitauit. luc. 7. Ue vidua ſi filios habet
naturales pauperes: non deſeruntur a domino:
ſed eis mirabiliter prouidetur. Exempluz d' mu
liere vidua: que pauit heliam: que cum filio tem/
pore famis in ſarepta fuit paſtus a domino: quia
etiaz reſuſitatus ab eo. 3. Re. 17. c. Et de vidua cu
ius heliſeus fecit miraculoſe multiplicare oleuz:
vt de eius precio filios liberaret a creditoribus
quarto: Re. 4. Talis vo vidua debet filios edu
care: ſi habet diligenter in timore domini: vt illa
venerabilis: que habuit ſeptem filios: ⁊ eos hor
tabatur ad martyriuz potius ꝗ̄ derelinqueret le
gem dei: vt habetur. 2. macha. 7. Et regina blan
cha: que frequenter admonebat filiuz ludouicū
regem francie ſanctum ⁊c. Si nō habet filios na
turales: ei non deſunt ſpirituales. ſ. ſenſus interio
res: qui reficiuntur ſpiritualiter a deo: ſi paupes
ideſt humiles ſunt. De malis viduis ⁊ inconti/
nentibus habes. 22. q. i. viduas. ⁊. c. de viduis.

## Exhortatio ad viduita/

tem ſeruandā. Hiero' ad gerūtbiam. Interdū ſi
bi libido blanditur: vt ꝙ propter intemperantiā
ſuam quedam faciūt: videantur facere deſiderio
liberorum. Uerum cum in ſemente terre bone
centenarius pro virginitatis corona primuz gra
dum teneat: ſexagenarius pro labore viduarum
in ſecūdo ſit numero. Trigenarius federa nup/
tiaruz: ipſa digitorum coniunctione teſtetur bi/
gamia: in quo erit numero: imo extra numerum
Certe in terra bona non oritur: ſed, in vepribus
⁊ ſpinetis vulpium. Itaqz obſecro te o religioſa
filia in xpo: vt teſtimonia non noueris: quibus i/
continentibus ⁊ miſeris ſubuenitur: ſed illa poti
us lectites: quibus pudicitia coronatur. Suffi/
cit tibi: ꝙ perdidiſti ꝓmum virginitatis gradum
⁊ per tertium veniſti ad ſecundum. i. per officiū
coniugale veniſti ad viduitatis continentiaz: ex/
trema immo abiecta ne cogites. Ue ſi ⁊ poſt di/
luuium ⁊ ante diluuium viguit illa ſētentia. Cre
ſcite ⁊ multiplicami ⁊ replete terraz: quid ad nos
in quos fines ſeculorum deuenerunt: quibus d'r
tempus breue eſt: ⁊ iam ſecuris ad radicem ar/
boris poſita eſt: que ſiluam legis euangelice ⁊ ca
ſtitatem nuptiarum ſuccidat. Tempus amplexā
di ⁊ tempus longi fieri ab amplexibus: ait ſalo/
mon primum in veteri teſtamento ſecundum in
nouo. Olim glorie erat audire illum verſiculū.
Filij tui ſicut nouelle oliuarum. Nunc de cōtinē
tibus d'r: qui adheret deo vnus ſps eſt cum eo.
Proponis mihi gaudia nuptiarum: ego tibi op/
ponam pyram gladium ⁊ incendium. Non tan/
tum bonum eſt in nuptijs qd ſperamus: quātuz
malum qd accedere poteſt: ⁊ timendum eſt. libi/
do tranſacta ſemper ſui relinquit penitudinem:
nūqꝫ ſatiatur: ⁊ extīcta iterum reaccenditur: vſu
creſcit ⁊ deficit: nec rationi paret: que impetu du
citur. Sed dicis ample opes ⁊ diſpenſatio rei fa
miliaris egent auctoritate viri. ſ. niſi cuz ſeruulis
tuis ipſa ſeruieris familie tue imperare nō pote/
ris: quaſi nō poſſis probate etatis habere famu
los vel libertos: qui preſint domui: vel ad publi
cum reſpondeant: vel tributa perſoluant. Queri
te ꝓmum regnum dei. ⁊ hec omnia adijcietur ti/
bi. Melius eſt rem familiarem minui: ꝗ̄ anime
ſalutem perire. Melius eſt amittere quod veli/
mus nolimus aliquando periturum eſt: ꝗ̄ id ꝓ
quo omnia dimittenda ſūt. Nos vero ardem'
auaricia ⁊ contra pecunias diſputantes auro ſi/
num expādimus: nihilqꝫ nobis ſatis eſt: ⁊ hoc fa
cimus: qꝛ domini verbis non credimus. Et quia
etas optata cunctis non vicina mortis: que debe
tur mortalibus lege nature: ſed craſſa ſpe annoꝝ
ſpatia nobis pollicetur. Nemo enim tam fractꝰ
viribus: ⁊ ſic decrepite ſenectutis eſt: vt nō ſe pu
tet adhuc vnum annum eſſe victurum. Unū ſub/
repit obliuio conditionis ſue: vt terrenū animal
iamqꝫ ſoluendum erigatur in ſuperbiā: ⁊ animo
celum teneat. hec ille. Idem ad furiam de cuſto/
dia vidualis caſtitatis: ꝙ debet vidua cauere ab
ornatu ⁊ delitijs dicit. Non queruntur in xpia/
nis initia: ſed finis. Paulus male cepit: ſed bene
finiuit. Inde laudantur exordia: ſed finis prodi/
tione damnatur. Quid facit in facie xpiana pur
pura byſſus ⁊ ceruſa: quorum alterum ruboreꝫ
genarum labiorūqꝫ mentitur: alterum candoreꝫ
oris ⁊ colli. Ignis eſt iuuenuz fomenta libidinū
impudice mentis indicium. Ornatus iſte nō do
mini eſt: ſed velamen antichriſti. Non ethnici
ignes: non vulcana tellus tantis ardoribus eſtu
ant: vt iuueniles medulle vino plene ⁊ dapibus
inflāmate. Grandis virtutis ⁊ ſollicite diligētie
eſt ſuperare: ꝙ nata ſis in carne nō carnaliter vi
uere: tecum quotidie pugnare: ⁊ incluſum hoſtē
argi centum oculis obſeruare. Nihil ſic inflam/
mat corpora: ⁊ titillat mēbra genitalia: ſicut ci/
bus indigeſtus ⁊ ructus conuulſus. Quicquid ſe
minarium voluptatum eſt venenum puta. Cogi
ta te quotidie eſſe morituram: ⁊ nunqꝫ de ſecun/
dis nuptijs cogitabis. Idem ad ſaluinam vidu
am. Audi quid ex perſona vidue cōtinentis eth
nicus poeta decantet. Ille meos primus: qui me
ſibi iunxit amores. propertius. Abſtulit ille: tu/
lit ſecum ſeruetqꝫ ſepulchro. Si tanti viliſſimū
lucrum: quanti viliſſimum lucrum. Si ſic com/
muni lege nature damnant omnes gentiles vi/
due voluptates: quid expectandum eſt a vidua
xpiana: que pudicitiam ſuam non ſolum ei debꝫ
qui defunctus eſt: ſed ei cum quo regnatura eſt?
hec ille per totum.

## De inſtitutionē et mō

conſeruationis vidue. Hieronymus ad ſalui/
nam. Didiciſti chatalogum virtutum tuarum:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quid debeas nomini tuo: quibus meritis secun
dum pudicitie gradum possideas: nec moueat
q sexagenaria eligatur in viduam: ꝛ putes adu
lescentulas ab apostolo reprobari: sed te credas
ab eo eligi: q discipulo suo dixerat. Nemo ado
lescentiam tuam contēnet: ꝛ. j. Mulieres que so
licite sunt: quomō placeant viris: cōe dant car-
nes: que carnibus seruiunt: quorum feruor de-
spumat in coitū: que ligate maritis generatiōi ac
liberis operam dant. Tu vero que ī tumulo ma
riti sepelisti pariter omnes voluptates: que linitā
purpura ꝛ cerusa faciem super feretrum eius la-
chrymis diluisti: que pullā tunicam nigrosqꝫ cal
ceolos candide vestis ꝛ aurati socri depositione
sumpsisti: nihl hēs necesse aliud: nisi perseuera
re in ieiunio. Pallor ꝛ sordes gēme tue sint. Plu
marum mollicies iuuenilia membra non foue-
ant. Balnearum calor nouū nō succēdat adole-
scentule sanguinē. Tenera res ī feminis fama pu
dicitie est: ꝛ quasi flos pulcherrimus cito ad leuē
marcescit auram: leuiqꝫ flatu corrumpitur: maxi
me vbi etas consentit ad iudicium ꝛ maritalis
deest auctoritas: cuius vmbra tutamē ē vxoris.
Quid faciet vidua inter familie multitudinē inē
ministrorum greges: quos volo contēnat: vt famu
los: sed vt viros erubescat. Certe si ābitiose do-
mus hec officia flagitant: pficiat his senē ho-
nestis moribus: cuius honor dignitas dn̄e sit.
Scio multas clausas ad publicum foribus non
caruisse infamia seruulorꝫ: quos suspectio facie-
bat: aut cultus impudicus: aut crassi corporis ni
tor aut etas apta libidini: aut conscientia amoris
occulti secutus eum vel aī tumor: qꝛ etiam bene
dissimulat frequenter erumpit in publicum ꝛ
conseruos quasi seruos despicit. Omni ergo di-
ligentia custodias cor tuum: ꝛ caueas quicqd de
te fingi potest. Nō ambulet iuxta te calamistratus
pcurator: n̄ istrio fract⁹ in feminā: n̄ cātoris dia
bolici venēata dulcedo: n̄ iuuēis vultus ꝛ nitid⁹
Nihil tibi artiū scēicarꝫ: nil tibi ī obsegis molle
iūgatur: habeto tecū virginum ꝛ viduarum cho
ros: habeto tui sexus solatia: ꝛ ancillarū quoqꝫ
moribus dn̄e indicantur. Semper in manibus
tuis diuina sit lectio: ꝛ tam crebre orationes: vt
oēs cogitationū sagitte: quibus adolescentia p-
cuti solet: hi⁹ clypeo repellantur. Difficile est quin
potius impossibile perturbationū vitijs carere
quēpiam: eo q incentiua vitiorꝫ omniū titillent
animos: ꝛ quasi in meditullio nostrum sit iudici
um vel abijcere cogitata vel recipere. Optimus
ille est qui minus vrgetur: veluti si egregios im-
pressos reprehendas in corpore neruos. Et hoc
est: qđ alijs verbis pphēta significat. Turbatus
sum ꝛ non sum locutus. Et illud archite tarenti-
ni ad villicum negligentem. Iam te verbis ene
cassem: nisi iratus essem: sicut irasci hominis est
non perficere iram xpiani: sic omnis caro concu
piscit que carnis sunt: sed nostrum est voluptati
ardorem maiori xpi ardore restringuere ꝛ lasci

uiens iumentum frenis inedie subiugare: vt non
libidinem: sed cibos querat ꝛ ōsideret. Sed cur
ista: vt hominem esse te noueris ꝛ passionibus
humanis: nisi caueris subiacere. De eodem cunc
ti facti sumus luto: in serico ꝛ in pānis eadem libi
do dominatur: nec regū purpuras timet: nec mē
dicantium spernit squalorem. Multosqꝫ melius
est stomachum dolere ꝙ mentem: imperari cor
pori ꝙ seruire: gressu vacillare ꝙ īpudicitia: nec
statim penitentie nobis blandiantur subsidia: ꝙ
sunt infelicium remedia. Cauendum est vulnus
quod dolore curatur. Aliud est ītegra naui ꝛ sal
uis mercibus portum salutis intrare: aliud nudū
herere tabule ꝛ crebris fluctuū recursibus ad as
perrima saxa collidi. Nesciat vidua bigamie in-
dulgentiam: nec nouerit illud apostoli. Melius
est nubere ꝙ vri. Tolle quod peius est vri: ꝛ per
se bonum non erit nubere. Primus lamech ma
ledictus ꝛ sanguinarius: ꝛ de stirpe chayn descen
dens: vnam chostam diuisit in duas: ꝛ plantariū
bigamie.

## Et quia uirginibus et

viduis maxime oportet vacari castitati seruan-
de: abstinēdo se ab actibus venereis quibuscūqꝫ
mētis ꝛ corporis. Quomodo seu quibus gradi-
bus perueniatur ad perfectam castitatem: ponit
venerabilis io. cassianus in. z. coll. cheremonis:
dicens sic. Sex gradibus licet multa a se inuicē
sublimitate distantibus: fastigia castitatis precel
sa distinguam: vt quedam media: que tamē mul
ta sunt pretermittā. Quorum subtilitas ita hu-
manos subterfugit sensus: vt ea nec mens inspi-
cere: nec lingua valeat proloqui: quibus sensum
castitatis ipsius perfectio quotidianis successib⁹
adolescit. Secundum similitudinem nanqꝫ cor-
porum terrenorum: que singulis diebus insensi
biliter sui capiunt incrementa: ꝛ dum nesciunt
ad perfectum habitum prouehuntur: ita anime
quoque robur ac maturitas castitatis acqui-
ritur.

## Primus itaque pudi-

citie gradus est: ne ꝛ vigilans in pugnatione car
nali monachus elidatur. ¶ Secundus ne mens
illius voluptarijs cogitationibus immoretur.
¶ Tertius ne femineo vel tenuiter ad concupi-
scentiam moueatur aspectu. ¶ Quartus ne vigi
lans vel simplicem carnis perferat motum.
¶ Quintus ne cum memoria generationis hu-
mane vel tractus ratio vel necessitas ingesserit a
subtilissimus mente voluntarie actionis perstri-
gat assensus: sed velut opus quoddam simplex
ac ministerio humano generi necessario contri-
butum: tranquillo ac puro cordis contempletur
intuitu: nihilqꝫ amplius de eius recordatione cō
cipiat: ꝙ si operationem laterum vel cuiuslibet
alterius officine mente pertractat. ¶ Sextus ca
stimonie gradus: ne illecebrosis fantasmatibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

feminarum vel dormiens illudatur. Licet enim
hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam
non credamus: concupiſcentie tamen adhuc
medullitus latitantis indicium ē: quā tn̄ illuſio/
nem diuerſis modis conſtat accidere. Nam ſm
illum vſum: quem vigilans exercere vel cogita
re conſueuerat: etiam dormiens vnuſquiſqꝫ ten
tatur. Aliter enim falluntur hi qui carnalem co/
pulam norunt: aliter qui femine ſunt cōmixtio/
nis expertes. ¶ Hi enim ſicut ſimplicioribꝰ ac
purioribus ſōnijs inquietantur: ita etiam facilio
re diligentia ac minore labore poſſunt purgari.
Illi autem ſordidioribus magiſqꝫ expſſis fan/
taſmatibus illudūtur: donec paulatim ſm mēſu
ram caſtitatis: ad quam vnuſquiſqꝫ cōtendit in
odium illius rei: quā voluntariam antea ſentie/
bat: mens etiam ſōno ſopita vertatur. Quiſquis
igitur extractus a cūctis cōfabulationibus ocio
ſis: ⁊ mortificatuſ ab oī ira ⁊ ſolicitudine curaqꝫ
mundana: duobꝰ tm̄ fuerit paximatijs quotidia
na refectione contētus: ⁊ aque ſatietare ſubtrac
ta quietē ſōni trium: ſiue vt alij ſtatuerunt qua/
tuor horaꝝ ſpatio terminarit: nec tamē laborū
aut continentie huiꝰ merito: ſed miſeratione dn̄i
eam ſe crediderit adepturū: qꝛ ſine hac fide va
na eſt oīs humani laboris intētio: non amplius
q̄ȝ ſex menſibus perfectionē iſtius impoſſibileꝫ:
ſibi non eſſe cognoſcet: euidens tamen eſt iā pri
me puritatis indicium incipere eā de ꝑprij labo
ris induſtria non ſperare. Si enim viꝫ verſiculi
illius vnuſquiſqꝫ in veritate conceperit: niſi dn̄s
edificauerit domū: in va. la. q. edifi. e. ſequetur.
vt de puritatis meritis extollatur: intelligens eā
ſe non ſua diligentia: ſed dn̄i miſericordia cōſe/
cutum: nec contra alios īmiti rigore moueatur:
ſciens humanā nihil eē virtutem: ſi eaꝫ virtuſ di
uina non iuuerit. hec iohānes Caſſianus qui ēt
ponit hanc eſſe differentiam inter continentiam
⁊ caſtitatem: vt continēs dicatur: qui patitur ma
gnos ſtimulos tentationū carnis: ſed non vinci
tur. Caſtus qui paruos vel nullos: quātis ſepe
ꝓ eodem ſupponat. Nam ⁊ caſtitas etiam large
dr̄ eſſe in ſtatu coniugali: duꝫ. ſ. abſtinet ab alijs
corruptelis: ⁊ ſi actū coniugalē exerceat. Et vt
dictum eſt. Vidualis ſtatus congruit non ſolum
feminis: quibus defuncti ſunt viri earum: ſꝫ ⁊ q/
cunqꝫ maris vel femine: que amiſſa virginitate
abſtinent ⁊ proponunt abſtinere ab actibus ve/
nereis: etiam coniugij ſiue ſint in religiōe ligati
ſiue in ſeculo conſtituti.

¶ Titulus tertius de dn̄is tpalibus. Capitulum
pmū per modū ſermonis.

CONſtituit eū dn̄m do
mus ſue
⁊ principem omnis poſſeſſionis ſue.
ps. 104. loquitur hic ad lr̄am ꝓphe
ta de ioſeph: qui ꝓ cōgrua eius ſapientia prudētia
⁊ bonitate conſtitutuſ eſt a pharaone rege egyp
ti gubernator totius regni ſui: ⁊ pmꝰ pnceps poſt
eum. Dixit enim ei pharao. Ecce conſtitui te ſup
vniuerſam terram egypti: ⁊ dedit ei anulum ſu/
um in manu eiuſ ⁊c. Et vt habetur diffuſe hiſto
ria: gen̄. 41. Et poteſt exponi ⁊ adaptari iſtud ad
quēlibet dn̄m tpalem ⁊ iuſtum principem. Ubi
ſciendum: vt dicit gelaſius papa ꝙ duo ſunt: qui
bus principaliter regitur hic mūdus: auctoritas
ſ. ſacra pontificum ⁊ regalis poteſtas: in quibus
tanto eſt grauius pondus ſacerdotum: q̄to pro
ipſis regiminibus hominum in futuro examine
deo reddituri ſunt rationem: di. 96. duo. Ex hoc
patet: ꝙ iſta dominia ⁊ principatus ſubalternāt
⁊ non ſunt paria: ſed temporale dominiuꝫ ē ſub
eccleſiaſtico ſeu ſpirituali: qꝛ imperator qui dici
tur dominus orbis ⁊ princeps: abſolute eſt ſub
papa: ⁊ ab eo iudicatur ⁊ confirmatur ⁊ deponit
Iſta ſūt duo luminaria: gen̄. 1. poſita in firmamē
to celi: luminare maius ſcilicet pōtificatus: ⁊ mi
nus. ſ. imperij principatus: qui vt luna lumen re
cipit a ſole: ita ipſe ſuam claritateꝫ habet a papa.
Preeſt tamen luminare maius ideſt ſol diei: qꝛ
ſ. principale exercitium pape eſt circa ſpiritualia
⁊ animas. Luminare minus ideſt luna preeſt no
cti ad eam illuminandam: qꝛ imperium ⁊ ſecula
ris dignitas eſt circa tpalia ⁊ corporalia: ⁊ vnuꝫ
debet iuuari per alterum in gubernatione ⁊ di/
rectione mundi. Unde nicolaus papa. Cum ad
verum ventum. i. ad diſcuſſionem veri. ſ. ad tem
pus xpi: vltra ſibi nec imperator iura pontifica
tus arripuit: nec pontifex nomen imperatorum
vſurpauit: quoniā ideꝫ mediator dei ⁊ hominū
homo chriſtus ieſus: actibus proprijs ⁊ dignita
tibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſqꝫ diſcer
nit propria humilitate: volens medicinā ſurſum
efferri: nō vana ſuperbia rurſus in inferna ōmer
gi: vt ⁊ xpiani imperatores ꝓ eterna vita ponti/
ficibus indigerent: ⁊ pontifices pro curſu tem/
poralium tantummodo rebus imperialibus le/
gibus vterentur: quatenꝰ ſpiritualis actio a car/
nalibus diſtaret incurſibus: ⁊ deo militans mi/
nime ſecularibus ſe negocijs implicaret: ac vici
ſim non ille rebus diuinis preſidere videatur: q
eſſet ſecularibus negocijs implicatus: di. 36. duo
ſunt. Idem cyprianus di. 10. Et dicit ibi gloſ. ꝙ
ſumma nobis a deo conceſſa ſunt dona ſcilicet
ſacerdotium ⁊ imperium: vt habetur in auten/
tico quomodo oportet epiſcopos in principio
colla. 3. Et de papatu quidem ⁊ alijs prelaturis
eccleſiaſticis dicetur ſuis titulis. ¶ Nunc auteꝫ
de principatibus ſecularibus agendum: quoruꝫ
primus ⁊ principaliter dicitur imperator: dein/
de reges duces marchiones comites ⁊ barones
Et vt perplures ciuitates reguntur: ⁊ ad tempꝰ
officium durat non perpetuo: conſules priores
antiani: vel alijs nōibꝰ nūcupātur. Et ipſum gdē
ſeu monarchia mundi diuerſis temporibus fuit
apud varias nationes ⁊ in diuerſis ptibꝰ mūdi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf